

## I. EXHORTATIONES GENERALES [182]

ex pruritu discendi aut libros edendi, sed quia lectio quasi solidum cibum ori apponit.

182.- 1919. Adm.: Iuris Canonici Codicem, expectationem totius Catholici orbis explentem, gratissimo et obsequenti animo jam recepimus; et quia in lege Sanctae Matris Ecclesiae invenitur expressa nobis sancta Dei voluntas, simulque modus eam perfecte adimplendi, hortamur omnes ut ejusdem Codicis praescripta, praesertim ad nos pertinentia, perseveranter scrutentur et religiose servent.....

183.- 1926. Adm.1: Sanctissimi Domini nostri Papae XI omnibus nobis, imo et universae Ecclesiae, jam nota est praeclara illa Constitutio Apostolica "UMBRATILEM" diei 8 julii 1924, qua Statuta Ordinis nostri, post exactam ad Codicis Canones emendationem, solemniter iterum approbantur et simul supremo ac firmissimo Pontificis suffragio commendatur, exaltatur et quasi vindicatur contemplativa vita. Hanc gratissimo et exultanti animo omnes tanquam Divinum oraculum accepimus. Verum dicente ipso Domino et Salvatore nostro: "Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud", non sufficit audire, quod multorum est, sed necesse est etiam custodire, quod paucorum. In hoc ergo paucorum numero nullus sit nostrum qui non cupiat annumerari, nullus qui non diligenti et assidua Statutorum observantia ad contemplativae vitae perfectionem tendere et pervenire totis viribus connitatur. - Ad hanc perfectionem acquirendam, maxime nos juvabit audire et custodire etiam aliud ejusdem Pontificis verbum, quo jam in Epistola Apostolica "UNIGENITUS" (19 Martii 1924) religiosos qui umbratilem in coelestium rerum contemplatione vitam degunt, graviter monuit eos non posse facile theologicis studiis aut antea neglectis aut postea depositis, in excelsis versari atque ad interiorum cum Deo conjunctionem efferri atque evehi. Beati igitur sumus si prompto ac docili obsequio audiamus et perfecte custodiamus verba ista supremi nostri et omnium Magistri atque Pastoris, qui, singulari erga nos benevolentia, haec profiteri non est dedignatus: "Neque minore Nosmet Cartusienses Sodales caritate prosequimur neque minus cupimus saluberrimum ejusmodi Institutum provehi latius atque amplificari."

184.- 1926. Adm.2: Omnibus enixe commendamus lectionem et piam meditationem Litterarum Encyclicarum Sanctissimi Domini nostri Pii Papae XI: "Rerum Ecclesiae gestarum" (28 Februarii currentis anni) de Sacris Missionibus provehendis. His enim eximie edocemur quantum et qua ratione etiam religiosi vitae strictae contemplativae addicti ad sacrum Christi Nomen ubi-

## I. EXHORTATIONES GENERALES [184]

[185] EXHORTATIONES GENERALES

que propagandum cooperari valeant, instanter scilicet et assidue rogando Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Haec intimo corde saepius recolentes, fervida caritate incendemur pro aeterna infidelium salute atque magno conatu studioque operam dabimus ut in Domibus nostris, juxta Pontificis votum, quotidie sursum ascendat oratio et descendat in tot infelices homines, in tam crebras ethnicorum gentes Dei miseratio.

185.- 1938. Adm.: Generalium Capitulorum anteacti temporis vestigia insequentibus, quae ingravescentibus Ecclesiae malis vel Ordinis, hortationes prout necessitas postulabat facere consueverunt, omnes ac singulos in Domino obsecramus ut in hac magna rerum perturbatione quae ubique fere gentium grassatur perdolentis Jesu amantissimum Cor de tanta hominum perditione, tantaque animarum jactura pro posse conemur consolari et illi in adiutorio esse.

Nobis omnibus notum est qualiter fratres nostri Montis Hilaris, testimonio fidei probati inventi fuerint, quot ludibria et verbera et carceres experti sint, quomodo eorum quidam in odium fidei pro Christo occisi sint. Beati utique qui laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

186.- Sed hoc neque currentis est neque volentis, sed miserantis Dei. Non igitur omni petenti dabitur pro Christo sanguinem effundere, sed omnes possumus per arctiorem cum Christo conjunctionem et plenioris sui ipsius abnegationem exhibere nosmetipsos tanquam hostiam sanctam, viventem ac Deo placentem.

187.- Non ergo curioso novitatum et rumorum quaestu animum nostrum per mundum vagari sinamus; nec exemplum Aaron, in locum incendii cum thuribulo currentis, imitandum putemus. Sed contra, in tabernaculo cum Moyse, in abscondito Faciei Domini occulti, summopere manere debemus, oratione et, quod majus est, vitae sanctitate, nosmetipsos "opponentes murum pro filiis Israel" (Ezech. XIII, 5).

188.- Et hoc facientes, non pro muro tantum, sed quodammodo pro mediatoribus Vitae existemus, inter Caput, Christum scilicet, et homines Ejusdem membra. Quinimo in Ecclesia quae est Mysticum Jesu Christi corpus quasi pro arteriis erimus, eo magis membris aliis supernaturalem vitam transfundentes, quo Cordi Jesu conjunctiores, et intus magis vacui et etiam profundius absconditi fuerimus. Insuper Summi Pontificis regnantis votum pro modulo nostro adimplebimus, quod nuper de Actione Catholica scribens, sic exprimebat: "Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Quapropter alterum auxilietur alteri, nullum sit iners membrum, sed singuli, ut accipiunt, ita dent oportet. Jamvero, ut Christifideles, supernaturalem vitam hau-

riunt, quae per Mystici Jesu Christi corporis venas defluit. ....ita in illas omnes transfundendam curent, qui eadem, vel neutricam fruuntur, vel exigue, vel specie tantum." (A.A.S. anno 1924, p.629)

189.- 1940: In praeterito Capitulo nostro Generali, sollemnis facta est Admonitio, qua, attentis magnis nostri temporis perturbationibus, omnes personas Ordinis enixe exhortabamur ut, per arctiorem cum Christo conjunctionem, et plenioris suiipsius abnegationem, sese unusquisque exhiberet hostiam viventem ac Deo placentem. Abhinc, ut omnes norunt, mala multum ingravata sunt; ita ut nostra etiam Comitia Generalia, propter hodiernas insecuritates, tempore statuto rite celebrari non possent.

In hac ergo majori jactura rerum, majori etiam fervere debemus caritate, sequendo consilium quod Angeli dederunt Loth in die submersionis Sodomae et Gomorrhae, dicentes: "In monte salvum te fac" (Gen. XIX, 17). Quod idem consilium et ipse Dominus suis dedit discipulis pro tempore maximae tribulationis, dicens: "Fugiant ad montes" (Luc. XXI, 21).

190.- Omnes ergo ad montem contemplationis fugiamus, ad montes altorum virtutum, non utique ad deserendum praelium, sed ad colluctandum adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus (Eph. VI, 12); non tantum orationi instantes, sed "munere veluti publico, victimas nos placationisque hostias, pro nostra proximorumque salute, Deo praebentes ac devoentes" (Const. Apostol. Umbratilem).

Salutares ergo quae factae sunt exhortationes, in Admonitione secunda anni millesimi nongentesimi trigesimi octavi, omnes attente ad memoriam revocent, et fidelius implere satagant.

191.- In loco quem a Deo sortitus est, in quantum eventus permittent, unusquisque permaneat, et ibi cum Christo, quam intime poterit, uniri studeat. Quomodo enim in hostias viventes, Deo placentes, mundo utiles fieri poterimus, si a Filio Dei, qui Vita simul atque summa Hostia est, vitae relaxatione et immortificatione disjungamur? Quomodo pereuntes animas salvare valebimus si nos a Salvatore mundi mentis evagationibus, cordis distractionibus, vanis curis et oblocutionibus sejungi permittamus?

192.- Conemur ergo pro posse, in simplicitate cordis et virginitate mentis cogitatus et affectus nostros in Deo stabilire, scientes quod quanto Deo propinquiores erimus, tanto Ecclesiae et generi humano fructuosiores existemus. Quod Ipse nobis misericordissime concedere dignetur.

193] FESTORUM INTRODUCTIO

FESTORUM MULTIPLICATIO SEU INTRODUCTIO: (Vide etiam: 1375-1381)

93.- 1597: Festorum de novo in Ordine nostro institutorum multiplicationem moderandam esse plures et graves ejusdem Ordinis personae scripserunt, et multis rationibus ostenderunt, tum quia per Festorum Capituli in quibus colloquia habentur multiplicationem, nostrae vocationis praecipuum propositum, quod est cellae solitudini et silentio vacare, notabiliter impeditur et Monachi magis gravantur, tum etiam quia per quaelibet duodecim Lectionum Festa, omittuntur... Missae pro defunctis quae dicerentur nisi ea Festa occurrerent. Propterea Patres Diffinitores hujus Capituli 1597 judicarunt nova Festa esse moderanda: (Sequitur diversorum Festorum, duodecim videlicet, moderatio vel reductio). (Inter alias dispositiones, sequens dispositio notanda est): Festa NNNNNN... ita duntaxat in Ordine nostro retineantur, si constiterit ad eorum observationem eas etiam Ecclesias quae non utuntur Breviario et Officio Romano, obligari, super quo consulatur Sedes Apostolica.

94.- 1843. Ord. 5: Inhaerentes praecedentium Capitulorum Chartis et praesertim Ordinationibus anni 1597, nova in posterum non admittimus Festa.

95.- 1877. Adm. 1: Ad memoriam omnium revocamus Ordinationem anni 1597 de vitanda nimia Festorum multiplicatione.

FRATRES: (Vide etiam: 1382-1384)

96.- 1156: Rationem quam reddit Procurator Priori, reddunt Fratres obedientiales Procuratori, et quoties redeunt a mercatione, dicunt ubi et quid expenderit.

97.- 1229: Monemus in Domino et obsecramus pro Christo Priores ut sint diligentes et solliciti circa confessiones Conversorum, et in docendo eos instituta et praecipue Novitios Conversorum instruant in praedictis et in oratione materna, docendo eos "Pater noster", "Credo in unum Deum" et "Ave Maria".

98.- 1591: Et quoad rasuram Conversorum servetur Statutum quibus etiam diebus festivis verbum Dei annuntietur tempore et loco a Priore statuendo. (In Domo Avenionis - Pr. Provinciae)

99.- 1594: Ad honorem Dei, salutem animarum et Ordinis honestatem, ordinamus et volumus molendina quae sunt extra Domos Ordinis et ad quae fit frequens concursus tam feminarum quam

199] FRATRES

virorum non per Fratres Conversos aut Donatos administrari et inhabitari, sed aliquibus saecularibus locari ad certum censum annuum, ut sic omnis suspicio vel occasio mali vel scandalum a Cartusiano nitore tollatur.

- 200.- 1760: Et qui in servitium Monachorum recepti sunt, magis  
 === sint memores suae conditionis. (Pro Pr. Cathaloniae et Cas-  
 tellae).
- 201.- 1884. Adm. 2: Solemnitatem Sancti Joannis Baptistae a  
 === Conversis servari volumus.
- 202.- 1888. Adm. 6: Quavis, juxta n. 2, Cap. V, IIae Partis St.,  
 === Dominicis et aliis diebus Festis Conversi silentium et cel-  
 las tenere debeant, poterunt Priores pro gratia concedere  
 Fratribus Laicis ter in anno communes recreationes intra  
 vel extra Domum, praesidente Procuratore.
- 203.- 1890. Adm. 10: Zelum ac sollicitudinem Priorum excitamus  
 === ut Fratrum spirituali educationi invigilent, et si negotiis  
 impediatur Procurator, alium deputent Monachum qui juniorum  
 maxime usque ad Professionem votorum simplicium curam habeat,  
 (Sic illos vitae religiosae ac Cartusianae, et in specie status  
 Conversorum naturam obligationesque doceat, informet ad vir-  
 tutes, spiritualibus exercitiis muniat atque confortet.
- 204.- 1893. Adm. 11: Fratres extra clausuram non exeant absque  
 === Prioris vel Procuratoris speciali, aut, si obedientia illis  
 commissaria exigat, generali licentia. Sic egressi, ad locum  
 quo mittuntur, vel ire necesse habent, vadant, sed non ad  
 alium.
- 205.- 1897: Adm. 5: Fratres, diebus in quibus ab operibus manuum  
 === cessant, silentio et solitudini debent vacare. Ideo de cel-  
 la non exeant ad visitandum Sanctissimum Sacramentum, cum  
 per plures jam horas Officio Chori interesse teneantur. Qui  
 vero, eisdem diebus, pii Exercitii Viae Crucis Indulgentias  
 lucrari cupiunt, in cella cum crucifixo, cui sint adnexae  
 hujusmodi Indulgentiae, lucrari curent.
- 206.- 1911. Adm. 5: Ad varia dubia solvenda circa IIam Partem  
 === Statutorum, declaramus: Juxta n. 3, Cap. IV, Conversos teneri ad Brevem pro sin-  
 gulis Defunctis Ordinis, etiam in Domo Tricenarium habenti-  
 bus, haud excepto casu quo Conversi et Novitii, defuncti  
 sepulturae interfuissent.

Attentis n. 6, 7, et 10, Cap. I, verba "Adjutorium nos-

trum in nomine Domini qui fecit coelum et terram" non dicenda esse in Matutinis tam de Domina quam de die, et in caeteris Horis pronuncianda esse antequam Fratres surgant et faciant signum Crucis, quando faciendum est, scilicet in principio Horae quae aliam immediate non sequitur.

207.- 1938. Adm.3: ...Memores sint Fratres nostri Laici professionis suae, in quantum ad vitam cum Christo absconditam in primis ordinatur. Sive ergo in spiritualibus exercitiis, - ut patet - sive in cellae solitudine, sive etiam in laboribus suis "in mente semper Deum habere" et "coram illo ambulare" adjuvante vocationis gratia, toto corde student. Quod enim facilius colere possunt, si diligenter silentium tenent, colloquia maxime fugientes, ut conversatio eorum tantum in coelis sit. - Quapropter, ut sint Fratres circa silentii observantiam plus solito solliciti, ut aiunt Statuta (IIa Pars: V,9) volentes omne praetextum illud frangendi auferri, et bonam voluntatem excitari, declaramus Priores Fratribus Laicis, prout sanitas corporum aut profectus animarum exegerit, de Visitorum quidem consensu, aliquas communes intra clausuram recreationes concedere posse, praeter recreationes ter in anno jam concessas, juxta Admonitionem 6am Capituli Generalis anni 1888. (Supra n.202).

208.- 1947. Adm.6: De silentii observatione a Fratribus nostris, fideliter intelligenda sunt ac observanda, quae a Statuto illorum, Capitulo V, et specialiter n.6, dicuntur. Possunt etiam Fratres Laici, in eodem opere occupati, inter se et cum adiutoribus loqui, sed de necessariis et utilibus tantum.

209.- Memores sint quidem conditionis qua recepti sunt in servitium Monachorum, ut ait Statutum (XVIII,1), sed nihilominus quae a Capitulo I, n.3, jussa sunt negligere non praesumant. Volumus scilicet eos sic externis exercitiis occupari ut etiam debitis temporibus non omittant spiritualia. In silentio enim permanere debent certis temporibus a Statutis praefixis, maxime diebus Festis de Praecepto.

Membra enim sunt Ordinis religiosi ad vitam contemplativam et solitariam dediti, et ideo non nimis exercitiis communibus vel observantiis ab Ordine nostro alienis onerentur.

Invigilent etiam Superiores eorum ut haec fideliter observentur, eis tempus ad exercitia spiritualia adimplenda relinquentes, et omnem curam impendentes ut ad orationis vitam ac veram monasticam spiritualitatem eos edoceant.

HAERESSES: (Vide etiam: 1423-1434)

210.- 1528: Hortamur in visceribus Jesu Christi omnes et singulas Ordinis personas, ne reddantur pusillanimes, propter tentationem, infelicitatem, persecutionem Religionis, neque a Catholica fide quae nova et varia et multiplex esse non potest, deficient, sed constanter perseverent, exemplo antiquorum Patrum, SS. Martyrum, Confessorum, Virginum qui eadem, imo majora, perpessi sunt, prout gesta declarant. Dabit enim Dominus post tribulationem Ecclesiae suae tranquillitatem et pacem, sicut semper fecit, et quia Ordo noster Cartusiensis a Deo institutus est, ut per eum Deus placetur et peccatoribus misericors fieret, et flagella sua a populo averteret, tanquam interpellatus ab his qui, orationis studio, puritate cordis et amore Divino insistunt. Ideo studeant singuli per poenitentiam et devotas preces Deo omnipotenti reconciliari.....

HEBDOMADARIUS:

211.- 1888. Adm. 2: Prior ipse, casu occurrente, vices supplet Hebdomadarii in Horis et in Missis Conventualibus. Item Procurator.

HOSPITES: (Vide etiam: 1435-1443)

- 1°: Normae generales pro omnibus hospitebus.
- 2°: Hospites extranei.
- 3°: Hospites Ordinis.

1°: HOSPITES: Normae generales:

212.- 1335: Consuetudines quorundam Priorum qui Monachos suos ad hospitium vocare soliti sunt, dum hospites in hospitio comedunt reprobamus, ordinantes quod nullus Monachus vel Clericus tunc ad hospitium evocetur.

213.- 1901. Adm. 4: Cum ex n. 9, Cap. V, Primae Partis Statutorum, ipsi Vicario fas non sit cum hospitebus bibere, accedente etiam licentia Prioris, patet hanc bibendi cum hospitebus licentiam a Priore Monachis, praeter Procuratorem, concedendam non esse; nec, juxta n. 18, Cap. XXI, ejusdem Partis, vocentur a Priore Monachi apud hospites circa eorum refectio- nis finem, sed cum e convivio egressi fuerint.

14.- Praeterea ad mentem Cap.XX, Iae P. St., et ex traditione Patrum Consuetudinibus Guigonis comperta, declaramus mulieres computandas non esse inter hospites honestasque personas cum quibus ex n.29, Cap.III, et n.13, Cap.VI ejusdem Partis, Prior et Procurator comedere possunt. Ideoque, in posterum, nullus Prior aut Procurator comedat aut bibat cum mulieribus etiam honestissimis, etiam de cognatione sua, in Domibus nostris extra clausuram hospitantibus.

### 2º: HOSPITES Extranei:

5.- 1444: Seriose monemus et in Domino exhortamur omnes illos nostri Ordinis Priores seu Procuratores qui saepenumero convivia utriusque status personarum, maxime saecularium in Monasteriis suis admittunt, et satis exquisita eisdem vicualia curiose ministrant, quatenus zelo Ordinis accensi, illa de caetero moderentur ac restringant, ne Domus Ordinis, occasione talium, peramplius graventur, et de nimia lautitiae insolentia, claustrales et caeteri merito scandalizentur.

6.- 1501: Attendentes quod licentiae et dispensationes comendi et convivandi indifferenter cum saecularibus per nullos Priores et Procuratores extortae hactenusque abusae, plurima Statuta et Ordinationes Capituli enervent, ideo seriose monemus ut Priores et Procuratores praetacti hujusmodi licentias concessas non indifferenter ad quoscumque amplient, sed duntaxat ad majores Benefactores, Fautores atque tantae reputationis viros restringant, quibus, salvo honore atque favore, denegari nequeat; scientes quod si in praemissis realis emendatio non fuerit subsecuta, Capitulum Generale omnes tales licentias cassabit et haec et aliarum Ordinationum monita poenarum adminiculo adjuvabit.

7.- 1877. Ord.4: Omnino prohibemus ne extranei pro spiritibus exercitiis ultra octodies in Domibus nostris permanent.

8.- 1881. Adm.5: Strictius servetur n.29, Cap.III, Iae Partis Statutorum, quo inhibetur ne Prior in Domo sua cum hospitibus advenientibus passim et indifferenter comedat, sed duntaxat cum personis honestis et talibus quibus hoc commode negari non poterit; et tunc etiam quanto rarius, tanto melius.

### 3º: HOSPITES Ordinis:

9.- 1899. Adm.1: Cum n.16, Cap.XXI, Iae P. St., praecipiat praeparari hospitibus Ordinis nostri tales cibos et lectos



qualibus ipsi utimur, volumus ut ab omnibus, quodcumque officium in Ordine exercent, servetur tum n.4, Cap.XII, Iae Partis, qui determinat quo lecto utimur, tum n.2, Cap.X, ejusdem Iae Partis, quo nobis usus lacticiniorum certis diebus prohibetur, quamdiu in Domo aliqua Ordinis sani sumus.

### IEIUNIUM:

220.- 1836: Diebus jejuniorum Ordinis, in collatiuncula serotina, nec ova, neque lacticinia Monachis ministrentur, nisi forte infirmo ex praescripto medici. Quod nemini durum videri debet, cum Statuta nihil concedunt praeter frustulum panis ne potus noceat.

221.- 1881. Adm.7: In Vigiliis de quibus agitur n.13, Cap.X, Iae Partis Statutorum, jejunium non frangimus propter defuncti sepulturam aut installationem Prioris; nec, a fortiori, propter Minutiones, ut eruitur etiam ex aliis locis Statutorum, maxime ex n.4, Cap.XXVIII Ordinarii.

222.- 1884. Adm.3: Pro Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli jejunetur tantum in ipsa Vigilia Solemnitatis, quae apud nos celebratur 29a die Junii; et notandum est tale jejunium esse de praecepto.

223.- 1879. Ord.7: ...Volumus ut in Vigilia Nativitatis Genitricis Dei Mariae jejunetur et a lacticiniis abstinenceatur, nisi sit Dominica.

224.- 1893. Ord.4: Volumus ut Festum Solemne, occurrens in Vigilia Ascensionis, celebretur sine jejunio, sed cum abstinence a lacticiniis: quod in simili occurrence semper observandum est, solo excepto Festo Corporis Christi ob reverentiam tantae Solemnitatis, juxta n.6, Cap.X, Iae P. St.

225.- 1911. Adm.4: Improbamus usum "Cacao" in collatione serotina, diebus jejunii.

### IESUS:

226.- 1592: Iesu Nomen Nazareni crucifixi, cum tantae sit maestatis et dignitatis et venerationis ut in eo flecti debeat omne genu, coelestium, terrestrium et infernorum, tantae item Reverentiae apud Patrem, ut in eo Nomine, quidquid

[227] INDULGENTIAE

petimus accipiamus, tantique amoris ut omnium etiam rerum excellat amorem, tantae autem virtutis ut in eo victus sit diabolus et mundus conversus, patrataque omnia miracula, tantaeque salutis et vitae ut non sit nobis aliud Nomen datum sub coelo, in quo oporteat nos salvos fieri, tantae demum suavitatis ut in aure melos, in ore mel et jubilus in corde vere sit. Ideo speciali veneratione et celebritate afficiendum meritissime judicamus. Unde ejusdem Sanctissimi Nominis Solemnitatem indicimus universis et singulis personis Ordinis celebrari et peragi, [die 14a Januarii], cum omni devotione, sub officio quod Domus Cartusiae quamprimum poterit, assignabit, quod jam receptum sit vel ab Ecclesia universali vel a particularibus Ecclesiis idem Sanctissimum Nomen particulari officio colentibus et celebrantibus, quo etiam die volumus a singulis summas gratiarum actiones agi pro beneficio factae solennae Professionis, quam huic Sanctissimo Nomini merito tribuimus, officiumque totum hujus solennitatis esse Prioris, et in Missa commemorationem haberi convenientem eidem nostrae Professioni.

INDULGENTIAE:

227.- 1749: Monemus renovatas fuisse hoc anno 27 Januarii Indulgentias concessas recitantibus semel in hebdomada decem Orationes Dominicis et totidem Salutationes Angelicas in oratorio domicilii sui, id est, in oratorio cellae, prout Summus Pontifex nuper vivae vocis oraculo declaravit.

228.- 1864. Adm.: Ut tollatur dubium circa locum ubi, ex concessione Urbani Papae VIII, ad lucrandas Indulgentias Septem Ecclesiarum Almae Urbis, recitari debeant semel in hebdomada, decem Orationes Dominicales ac totidem Salutationes Angelicae, ad memoriam revocamus Ordinationem factam per Capitulum Generale anni 1749, scilicet: Oratorium Domicilii nostri indicatum ad hunc finem in Litteris Apostolicis esse Oratorium cellae, juxta declarationem beatae memoriae Benedicti Papae XIV.

229.- 1847. Ord. 6: Intimamus omnibus Prioribus, Monachis et Novitiis quod Summus Pontifex Pius Papa IX, nostro Ordini summe affectus, die 8a Martii 1847, omnibus Monachis et Monialibus Indulgentias 300 dierum concesserit, quoties Officium Beatae Mariae Virginis horis et locis a Statuto designatis persolverint; imo etiam Indulgentiam plenariam bis in mense lucrandam, diebus ad libitum selectis, his

[229] INDULGENTIAE

qui per totum mensem huic debito satisfecerint, nisi legitime impediti fuerint, largitus est in perpetuum, cum facultate animabus in Purgatorio detentis easdem applicandi. Idem Sanctitas Sua concessit iisdem religiosis sub eisdem conditionibus pro recitatione Officii Defunctorum.

- 230.- 1861. Adm.: Notum facimus, Indulgentiam plenariam, tam pro vivis quam pro defunctis, a Sanctissimo Domino nostro Papa Pio IX feliciter regnante, in perpetuum valituram, cunctis Christi fidelibus esse concessam qui vere poenitentes et confessi ac Sacra Communionem refecti, quamlibet Ecclesiam Ordinis, diebus Festis Sanctorum ac Beatorum Ordinis recenter nostro Calendario adscriptis, visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias apud Deum preces effuderint.
- 231.- 1884. Ord.R.P.: Cum Congregatio Sacris Ritibus praeposita, die 7a Julii 1882, decreverit quod pro absolute in articulo mortis retineretur in omnibus formula praescripta in Constitutione sanctae memoriae Benedicti Papae XIV, "Pia Mater", addito tantum ad Confiteor nomine Sancti proprii Fundatoris, cumque nobis responderit eadem Congregatio, die 13a Augusti 1883, praedictam dispositionem omnes indiscriminatim respicere, propterea si quis nostrum Indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrari vellet virtute specialis nostri privilegii utendum esset formula Ritualis Romani, et ad Confiteor, post verba "Sanctis Apostolis Petro et Paulo" - "Sanctos Apostolos Petrum et Paulum", addendum esset: "Beato Patri nostro Brunoni..." - "Beatum Patrem nostrum Brunonem...". De caetero aliter et facilius Indulgentiam plenariam lucrari possumus in articulo mortis, cum v.g., ex concessione Pauli Papae V, Religiosus qui in mortis articulo, vere poenitens, confessus et Sacra Communionem refectus, vel si id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde devote invoverit, Indulgentiam plenariam consequetur.
- 232.- 1886. Adm.2: Per Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 15a Maii 1886, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII benigne indulget ut Cartusienses qui quater in die, statis temporibus, tres Salutationes Angelicas cum veniis juxta Ordinis Statuta recitaverint, lucrari valeant easdem Indulgentias quae versiculis "Angelus Domini", etc... et Antiphonae "Regina coeli" adnexae sunt.

33.- 1897. Adm. l. §2: Die 8a Julii Sacra Congregatio Indulgentiarum, ad tollendam omnem dubitandi causam, declaravit visitationem ecclesiarum nostrarum, licet communiter intra regularem clausuram sitae sint, nec liberum habeant aditum in via publica, sufficere quando ad lucrandas Indulgentias requiritur visitatio alicujus ecclesiae in genere.

34.- 1925: Notum facimus quod in audientia die 6a Februarii hujus anni impertita a DD. Cardinali Poenitentiaris Majori, SSmus Dominus noster Papa XI Monachis, Monialibus, Novitiis et Postulantibus chori Ordinis nostri ad septennium benigne concessit, quoties pro lucrandis Indulgentiis visitatio unius ecclesiae praescribitur, facultatem visitandi, loco ecclesiae, propriae cellae oratorium.

35.- 1947: Quaeritur an idem Indultum valeat etiam pro peculiari Portiunculae Indulgentia. Die 7a Novembris 1947, Sacra Poenitentiaris Apostolica proposito dubio respondet: Affirmative.

36.- 1948: Ad dubium propositum: Utrum gratia concessa [supra n. 234] extendatur etiam ad Fratres (Conversos, Donatos, Novitios et Postulantes)? Die 23a Martii 1948, Sacra Poenitentiaris Apostolica proposito dubio respondet: Affirmative.

37.- 1495: Visitatores habeant invigilare super abusibus Indulgentiarum Domus Bellilarici. (Pr. Franciae)

INFIRMI: (Vide etiam: 16 et 1461-1475)

38.- 1415: Quia licentia quam petunt Monachi singuli ad visitandum infirmum censetur et intelligitur concedi in favorem et consolationem ipsius infirmi, et contigit quod, praetextu talis licentiae obtentae, multis simul confluentibus, ex multa simul praesentium confabulatione et mora, infirmus non consolatur sed gravatur, nec Horas tempore competenti dicere, solvere vel audire potest, aut alias suas necessitates complere, et exinde exquisite inducitur ex multis quasi commune colloquium, et enervatur salubris observatio silentii, prohibemus ut, duobus existentibus cum infirmo, praetextu talis licentiae, nullus alius praeter infirmarium, causa visitationis superingrediatur, nec Praesidentes, nisi ipsis intrantibus, licentiam contrariam huic Ordinationi valeant concedere.

239.- 1579: Cum de jure infirmi gravi infirmitate Divinum Offici-  
 um dicere non teneantur, declaramus dictos infirmos ad  
 audiendum dictum Officium non teneri, sed sufficere dictos  
 infirmos dicere Dominicam Orationem, Angelicam Salutatio-  
 nem, aut Psalmos quos memoria tenent, pro ipsorum devotione.

240.- 1591: Quoniam non parum obest regulari observantiae, nos-  
 traeque solitudini et conceptae apud saeculares de nobis  
 bonae opinioni introductio servorum saecularium etsi domes-  
 ticorum ad obsequia praestanda nostris Monachis vel infir-  
 mis vel senibus tali famulatu egentibus, utpote observan-  
 tiam minus scientium vel curantium, atque importunis horis  
 accedentium, quietemque turbantium claustrum, et saeculari-  
 bus verbis et moribus suis infirmi vel senis pacem et ani-  
 mam distrahentium, opportunum judicavimus non minus quam  
 religioso mori consentaneum statuere, prout et statuimus  
 ut Monachis infirmis et debilibus et senibus alicujus famu-  
 latu, iudicio Prioris, indigentibus, non saecularis servus,  
 sed Donatus vel Conversus illis adhibeatur, sic admonitus  
 se datum esse ad obsequium, non ad relaxandum saecularibus  
 verbis et factis sibi commissae personae animum, itemque  
 ad corpus ita curandum ut commoda et faciliora inventu qua-  
 erat, non autem delicatiora et inventu difficiliora, unicui-  
 que ita ministret ut frequentiori ingressu atque regressu  
 aliorum quietem non interturbet, et claustrum ostia semper post  
 se occludat, ut saecularibus personis sive famulis domesti-  
 cis ad ea accessus non pateat, sine expressa superioris li-  
 centia ad formam Statuti. (Pro Pr. Castellae).

241.- 1607: Illam charitatem erga aegros quisque superior  
 exerceat quam sibi in aegritudine vellet impendi: super  
 quo diligenter invigilent Visitatores, necnon super carce-  
 ratis quos charitati Priorum commendamus.

242.- 1900. Adm. 5: Aliqui plane immemores Statutorum nostrorum  
 et asperitatis propositi Cartusiensis, Priori suo, aut e-  
 tiam Reverendo Patri nimis infesti sunt pro licentia obti-  
 nenda ut mittantur extra Domum ad medicos. Ante oculos ha-  
 beant poenam, videlicet Disciplinae Generalis, qua, juxta  
 n. 12, Cap. XI, Iae Partis, plectendi essent. Priores etiam  
 meminerint se, juxta eundem numerum, non debere pro hujusmo-  
 di dictam licentiam petere.

243] INSTALLATIO PRIORIS

INSTALLATIO PRIORIS: (Vide etiam: 1477)

43.- 1746: Inhibemus ne in installationibus Priorum ulla fiant  
inter Monachos convivia, aliaque hujusmodi celebrentur tri-  
pudia in saecularium scandala, nec etiam coquinam et alias  
Domus officinas intrent Monachi, sed tantum hujusmodi re-  
creatio fiat ut decet Monachos et juxta mentem Statutorum  
nostrorum. Et super his omnibus stricte observandis invi-  
gilent Visitatores.

IOSEPH:

44.- 1567: Quoniam in pluribus mundi partibus hoc tempore tam  
calamitoso, propter defectum personarum, Ordo noster mani-  
feste deficit, ita ut nihil aliud superesse videatur, ad me-  
dendum et obviandum tantae cladi, nisi ut oculos levemus in  
coelum et coeleste impetremus auxilium. Et quia Sanctus Pa-  
ter Ioseph, Sponsus Beatae Virginis, inter electos is esse  
videtur, cujus nulla in Ordine nostro habetur memoria, qui  
in implorando Divino auxilio in tanta necessitate, Patronus  
et interventor sit aptissimus; volumus et ordinamus ut pro  
Ordinis nostri mantenentia et sancta perseverantia de bono  
in melius, atque aliis ejusdem Ordinis necessitatibus, de  
caetero in omnibus Domibus Ordinis Festum Sancti Ioseph,  
19a Martii, annis singulis solemniter cum candelis celebre-  
tur, sub officio unius Confessoris non Episcopi, cum col-  
lecta propria et Evangelio proprio, etc....ut tanti Sancti  
Patrocinio, et hic consolationem, et in futuro saeculo vi-  
tam aeternam consequi mereamur.

ITER AGENTES: (Vide etiam: 1478-1491)

45.- 1374: Propter rumorum relationem ex qua plurima scandala  
et inconvenientia sunt secuta, volumus quod personae Ordi-  
nis quae transeunt ordinate per Domos nostras non loquantur  
cum personis Ordinis quae non sunt in officiis sine specia-  
li licentia Prioris, vel Vicarii in ejus absentia. Et tunc  
modeste et simpliciter gratiam consolationis conferant, nec  
inquirant vel referant de negotiis et factis Domorum vel  
personarum; quae autem inordinate transeunt, nec ad collo-  
quia recipiantur, nec ad ecclesiam, sed extra teneantur et  
incarcerentur, vel emittantur juxta Praesidentium consilium  
et discretionem.

245] ITER AGENTES

246.- 1571: In Provinciis in quibus non sunt pericula ab ini-  
 micis fidei, personae Ordinis ferant mantellos nigros cum  
 caputiis juxta formam Ordinis. (Vide infra n.631, 637, 638)

247.- 1620: Insequentes Decretum Sanctissimi Domini Pauli Pa-  
 pae V, praecipimus omnibus et singulis personis Ordinis  
 nostri ut accedentes ad loca in quibus sunt Monasteria aut  
 Domus Ordinis, in eisdem morari et vivere habeant, nec al-  
 lio divertant, reservata Sedi Apostolicae super eo dispen-  
 sandi facultate.

#### LECTOR IN REFECTORIO:

248.- 1888. Adm.3: Quando duae cantantur Missae, ab Hebdomada-  
 rio scilicet et ab ejus vicario, nihil obstat quin ille  
 vicarius, ipso Hebdomadario praesente, legat in Refectorio.

#### LIBRORUM EMENDATIO VEL IMPRESSIO: (Vide etiam: 1503-1507)

249.- 1543: Cupientes hac temporis malignitate prout tenemur,  
 obviare quorundam temeritati, et pariter consulere Ordinis  
 nostri honori personarumque saluti ac quieti, ad exemplum  
 quorundam celebris nominis religiosorum, districte prohibe-  
 mus omnibus et singulis personis nostri Ordinis ne aliquos  
 libros seu tractatus a se seu ab aliis compositos, sive e-  
 tiam sermones, orationes, epistolas vel alia quaecumque da-  
 re impressioni sive ut imprimantur procurare per se seu per  
 alios, quovis modo praesumant, nisi prius per Capitulum Ge-  
 nerale seu per ipsum deputandos, visa et examinata fuerint.

250.- 1859. Adm.1: Strictius servetur n.61, Cap.XXII, Iae P.  
 St., quo personis Ordinis inhihetur libros a se vel ab  
 aliis compositos typis mandare absque speciali licentia  
 Capituli Generalis vel Reverendi Patris, revocatis quibus-  
 cumque licentiis hucusque concessis. Addentes quod hujus-  
 modi facultates, juxta Constitutiones Apostolicas debeant  
 praefigi libro, cum indicatione nominis auctoris vel sal-  
 tem Ordinis.

251.- 1863. Adm.7: Admonitionem in ultimo Capitulo Generali  
 factam de libris typis non mandandis absque licentia Supe-  
 riorum Ordinis in scriptis obtenta, renovantes, adjicimus

[252] LIBRORUM IMPRESSIO

nulli omnino licere sua propria manuscripta typis mandanda, aliorum examini submittere absque praevia licentia Reverendi Patris.

252.- 1934. Adm.: Ad mentem responsionis Sacrae Congregationis de Religiosis 13 Julii 1913, declaramus Professos Ordinis nostri non posse, absque licentia Prioris, alteri communicare manuscripta a se durantibus votis exarata.

253.- 1938. Adm.4: Ad memoriam revocamus n.61, Cap.XXII, Iae P. St., quo prohibetur ne imprimantur quaecumque scripta nisi prius per Capitulum Generale aut Reverendum Patrem vel ab eis deputatos visa et examinata fuerint atque approbata.

=====

LICENTIAE (QUOAD USUM): (Vide etiam: 1517-1527)

254.- 1544: Pro Domo Fontis B.Mariae: De gratiis et licentiis ibidem certis religiosis concessis non intelligimus nec volumus quod iidem religiosi inde insolescant, vel contra Priorem seu alios officiales eleventur, sed cum omni humilitate ac de scitu Praesidentis et non aliter illis utantur alioquin illarum usus per dictum Priorem poterunt suspendi. (Pr.Franciae)

=====

LITES: (Vide etiam: 1528-1536)

255.- 1200: Monachi non accomodentur extra Ordinem ad causas tractandas.

256.- 1363: Concedimus et laudamus quod Priores de consensu Conventus vel majoris partis, possunt compromittere de eorum causis et litigiis et causis determinandis in arbitros vel amicabilem compositores, quorum unus sit aliqua persona Ordinis, si fieri poterit, bono modo et cum consilio peritorum usque ad receptam Chartam futuri Capituli Generalis.

257.- 1428: Monemus omnes Priores necnon Domorum Rectores, Vicarios Monialium et Procuratores ut in causis, sive in agendo, sive in defendendo, non sint faciles ad litigandum, sed se offerant stare iudicio simpliciter et de plano jurisperitorum vel proborum amicorum, quia Ordo in plerisque partibus diffamatur de rigore et Domus amplioribus expensis gravantur, et personae Ordinis nimis evagantur in scandalum ipsius Ordinis.

[257] LITES



LITTERAE: (Vide etiam: 1537-1591)

- 1°: Litterae ad Cap. Gen. vel Reverendum Patrem.  
 2°: Litterae ad Superiores Majores.  
 3°: Litterae anonymae.  
 4°: Litterae furtivae.  
 5°: Litterae recommendationis.  
 6°: Litterae testimoniales.  
 7°: Litterarum frequentia.  
 8°: Litteras legere debet Prior.
- 1°: LITTERAE ad Capitulum Generale vel Reverendum Patrem:
- 258.- 1346: Injungitur personis Ordinis quod brevibus verbis de  
 === caetero scribant Capitulo Generali, non ita prolixè ac taediose sicut facere consueverunt.
- 259.- 1368: Personae Ordinis scribentes Domino Cartusiae vel Ca-  
 === pitulo Generali scribant breviter, alias non expectent responsum. Et ponant in litteris pro data non solum diem et mensem, verum etiam Incarnationis Dominicae annum tunc currentem.
- 260.- 1397: Monemus et exhortamus in Domino omnes et singulas  
 === personas Ordinis ut nullus sine causa rationabili Capitulo Generali et eidem Priori Cartusiae scribere praesumat; alias de sua praesumptione graviter punietur et nullum accipiet responsum.
- 261.- 1437: Ordinamus quod personae Ordinis Domino Cartusiae  
 === vel Capitulo Generali scribentes, non faciant in litteris suis proemia nec harangas, sed statim post brevem et honestam more solito recommendationem, intrent sub decenti compendio materiam suarum petitionum, quas per articulos sigillatim distinguant, ut in fine singulorum articulorum valeant eorum responsiones convenienter apponi; aliter non respondebitur eis.
- 262.- 1684: Quia his temporibus sumptus pro delatione epistolarum  
 === ita creverunt ut jam ad pretium mille scutorum annuatim ascendant, et inde notabile gravamen inferretur Capitulo Generali cujus taxae augeri in dies deberent, nisi remedium apponeretur, hortamur personas Ordinis ut abstineant a mittendis super annum ad Cartusiam inutilibus aut superfluis scripturis, et juxta formam Statutorum nostrorum ea tantum scribant, quae necessaria sunt aut utilia, succincte, juxta n.55, Cap.XXII, Iae P. St.: Si quid autem superfluum dein-

ceps mittatur aut inutile, rogamus Reverendum Patrem ut om-  
net sumptus delationum exigi a Domibus Ordinis unde fuerit  
missum, ne ultra quod justum est, totus Ordo inde gravetur.

2°: LITTERAE ad Superiores Majores:

63.- 1587: Volumus districte observari n. 54, Cap. XXII, Iae  
Partis Statutorum, addentes: Si quis Prior, vel Vicarius,  
vel officialis quilibet Ordinis nostri litteras directas Ca-  
pitulo Generali, Reverendo Patri, vel Scribae Capituli Gene-  
ralis aperuerit, aut quovis modo retardaverit, ipso facto,  
tanquam impediens Ordinis justitiam, rebellis Ordini habea-  
tur, abrogantes quascumque et quomodocumque hactenus super  
hoc habitas ac concessas licentias et dispensationes.

64.- 1869. Adm. 2: Sciant VV. PP. Priores litteras subditorum  
 suorum ad Reverendum Patrem, ejusque Scribam, necnon ad  
 Procuratorem Generalem, et Visitatores missas, omnino ape-  
 riri et legere non posse; sicut et litteras a supradictis  
 ad subditos missas.

65.- 1891. Adm. 5: Qui ad Superiores Majores scribunt, episto-  
 las suas semper claudant ipsi; Superiores vero praedicti  
 epistolis suis proprii officii sui signum exterius appo-  
 nant semper.

3°: LITTERAE Anonymae:

66.- 1365: Illi qui scribent super annum Domino Cartusiae vel  
 Capitulo Generali, nomine Conventus, nominent se sigilla-  
 tim in litteris, aliter non credetur scriptis eorum. Et ul-  
 terius habebunt congruam disciplinam.

67.- 1869. Adm. 3: Noverint omnes personae Ordinis, litteras  
 anonyms, sive ad Reverendum Patrem, sive ad Capitulum  
 Generale vel Diffinitorium missas, inlectas dilacerari.

4°: LITTERAE Furtivae:

68.- 1648: Servetur n. 11, Cap. XXIV, Iae P. St., ut nulla per-  
 sona Ordinis praeter ibi designatos habeat sigillum, etc...,  
 aut litteras seu quaelibet munuscula dirigat aut recipiat,  
 nisi prius licentiam habuerit a Praesidente, sub poena come-  
 dendi semel ad terram in refectorio, pro prima vice, et gra-  
 viore postea Prioris arbitrio imponenda.

69.- 1859. Ord. 10: Qui scienter epistolas aut similia furtim

miserint vel acceperint, ipso facto suspensionem incurrunt, aut, si non sunt sacerdotes, communionis privationem, ad quam sub gravi tenentur, usque dum culpam suam proprio Superiori manifestaverint.

270.- 1908. Adm.5: Epistolis assimilantur, quoad poenas incur-  
 === rendas, quando mittuntur aut recipiuntur furtivae, chartae  
 quas vulgo "Cartes postales" vocant, et quibus pro epistolis  
 uterentur.

5°: LITTERAE Recommendationis:

271.- 1644: Declaramus inhabiles ad omnia Ordinis officia pri-  
 === vatosque utraque voce quoscumque qui emendicatis favoribus  
 extra Ordinem dignitates et officia procuraverint, atque in  
 eis se manutene, vel qui licentiam mutandi monasterium  
 aut exeundi ad negotia propinquorum tractanda obtinere ten-  
 taverint.

6°: LITTERAE Testimoniales:

272.- 1872. Adm.7: Litterae Testimoniales ex Decreto Romani  
 === Pontificis requisitae praesentari debent juxta Sacrae  
 Congregationis Responsum, antequam Fratres admittentur  
 ad Novitiatum pro Donatione.

7°: LITTERARUM Frequentia:

273.- 1696: Cum juxta mentem Ordinis cavendum sit ab inutili-  
 === bus expensis et superfluis delationibus litterarum, absti-  
 neatur de caetero a superfluis salutationibus pro solemnio-  
 ribus Festis Paschae, Natalis Domini et in Calendis Janua-  
 rii, et tum Procurator Generalis, tum alii Superiores ad si-  
 milia nullum dent responsum ut tempus redimant et sumptus.

274.- 1891. Adm.8: Epistolas frequentius mittere et accipere  
 === solitudinis sectatorem non decet; et quantum inutiles  
 scriptitationes a spiritu Ordinis diversae sint, innuunt  
 Statuta nostra, juxta n.55, Cap.XXII, Iae Partis. Caeterum  
 ut colloquia nostra, religiosae sint epistolae nostrae: a  
 Cartusiano non expectant sermones saeculares de vanis ru-  
 moribus et de Dominis terrae factisque eorum, sed de rebus  
 quae non transeunt et de regno Dei.

8°: LITTERAS legere debet Superior:

275.- 1875. Adm.10: ... Per litteras quas insciente Priore,  
 === possunt Procuratores ex Statutis dirigere vel recipere,

[276] LITTERAS LEGIT SUPERIOR

declaramus intelligi litteras tantum quae ad negotia temporalia Domus spectant.

276.- 1883. Adm.7: Servetur n.11, Cap.XXIV, Iae Partis quo statuitur ut Prior omnes litteras aperiat et legat: quibus verbis, juxta Admonitionem 10am anni 1875, comprehenduntur litterae quae mittuntur a Procuratore vel recipiuntur et non tractant exclusive de temporalibus negotiis Domus; et Vicarius, absente Priore, idem faciat.

=====

MAGISTER NOVITIORUM: (Vide etiam: 1592-1601)

277.- 1905. Adm.2: Prioribus enixe commendamus ut Novitiorum Magistri officium non committant nisi Monachis tam provectis aetate annisque professionis, praeter alias necessarias dotes, ut cum debita maturitate experientiaque rerum Ordinis, maxime vitae solitariae, munus suum exercere valeant.

278.- 1909. Adm.: Jam pluries a Capitulo Generali in memoriam revocatum est quanti Ordinis nostri alumni intersit, ad fideliter exercendum suae vocationis talentum, ut serio scrutentur regulam istam quae Sancti Brunonis filiis perfectionis formam praebet; sed ad Novitiorum educationem Magistros enixe hortamur ut in dominicali collatione, non neglectis generalibus vitae internae et religiosae disciplinis, saepe saepius diversas Partes Statutorum nostrorum explanent, non solum quoad litteram et caeremonias pure materiales, sed etiam quoad asceticum ac liturgicum sensum.

279.- Porro ad hanc Statutorum nostrorum enarrationem egregie complendam, opportunum valde est ut iidem Magistri libros de rebus Ordinis recentem editos, scilicet Disciplinam Ordinis Cartusiensis, Annales, Ephemerides, Dionysii Lanspergiique opera, manibus saepe volvunt, et sic, exemplo simul ac verbo docentes, facilius poterunt in tironibus suis Regularum nostrarum intelligentiam et amorem promovere.

=====

MEDICINA: (Vide etiam: 1602-1610)

280.- 1887. Ord:4: Prohibemus ne libri de arte medicina tractantes in cellis serventur absque speciali Prioris licentia et evidenti necessitate, nec in Bibliothecis exponantur.

[280] MEDICINA

MINUTIONES: (Vide etiam: 1628-1631)

281.- 1528: Mandamus ut de caetero Divinum Officium tam diurnum quam nocturnum, diebus Minutionum Ordinis ea gravitate et devotione celebretur qua caeteris diebus super annum Perialibus decantatur, Statuto non obstante Secunda Parte Antiquorum Statutorum, Cap.XV, n.9.

282.- 1573: Juxta olim ordinata per Chartam Capituli Generalis anni 1528, quam confirmamus, in tempore Minutionum et pendente Capitulo Generali, in Domibus Provinciae Gebennensis, Statuto non obstante, Divinum Officium religiose et tractius more monastico, nocturnum et diurnum, devote persolvatur. Abusus autem, ludos, choreas, cantus seculares et similia secularia, devotionis impeditiva et puritati religionis adversantia, tam in Domibus Monachorum quam Monialium, omnibus et singulis personis Ordinis, ob meritum obedientiae interdicimus, et prohibemus, etiam spatiamenta menti Ordinis et Statuti contraria.

MISERICORDIA: (Vide etiam: 1633-1639)

283.- 1423: Quia ex levi et frequenti Priorum absolute nonnullas Domos nostri Ordinis non proficere sed notabiliter deficere et Monachos contra Priores amplius insolescere percepimus, ordinamus ut Visitatores Provinciarum amodo non sint tam proni ad absolvendos Priores ad instantiam Monachorum, sed Statutum novum loquens de hoc de caetero firmiter observent, ut videlicet neminem a Prioratu absolvant, nisi in casibus in Statutis expressis, absque speciali licentia Capituli Generalis vel Prioris Cartusiae et quantum fieri potest ad Generale Capitulum differant, nisi absque gravi Domus ipsius damno vel scandalo evidenti absolutio ipsa minime differi potest, in quo eorum conscientias oneramus, quia et haec Statuta expresse volunt.

MISSA: (Vide etiam: 1640-1644)

1º: Conventualis.

2º: Privata.

3º: Intentio Missae seu applicatio.

4º: Votiva de Beatis prohibita.

5º: Quibus Missis Fratres intersint.

1°: MISSA Conventualis:

84.- 1887. Adm.1: Uniformitatis causa, ferialibus diebus,  
 == etiam quando Missam praecedunt Litaniae, casula non dif-  
 feratur, nisi fiat Processio, sed sacris vestibus omnibus  
 statim induatur sacerdos.

85.- 1912. Adm.: Quando diebus ferialibus, Litaniae Sanctorum  
 == non cantantur, ante Missam Conventualem, Monachi, more so-  
 lito, pergant ad sedes suas, ibique stent coopertis capiti-  
 bus.

2°: MISSA Privata:

86.- 1397: Monemus omnes et singulas personas nostri Ordinis in  
 == sacerdotio constitutas, ac eis districte injungimus, ut Mis-  
 sas privatas in tali voce celebrare teneantur, quod servito-  
 res et alii assistentes audire et intelligere possint quae di-  
 cuntur, alias per Priores seu Visitatores graviter puniantur.

87.- 1574: Declaramus Missas privatas debere dici tali voce,  
 == exceptis secretis et canone, ut ab assistentibus, saltem a  
 servitore, possint audiri, juxta mentem Sacri Concilii Tri-  
 dentini.

88.- 1461: Intimamus omnibus personis Ordinis quod Sanctissimus  
 == Dominus noster Pius, divina providentia Papa Secundus, ex  
 magna devotione quam gerit ad Ordinem nostrum, concessit, in  
 favorem Cultus et Religionis, quod Conversi, Donati et Prae-  
 bendarii praesentes et pro tempore possint et valeant quan-  
 tumcumque irregulares ad Missas privatas juvare et servire.

89.- 1886. Adm.4: Juxta n.11, Cap.XXXII Ordinarii nostri, sa-  
 == cerdotis minister, si post eum celebraturus sit, dum dicun-  
 tur Complendae, praeparat oblationem. Qui vero sacerdoti non  
 ministrat, oblationem sic praeparare non debet, nec ipse Dia-  
 conus, post Missam Conventualem celebraturus, cum de solis  
 Missis privatis hic agatur; imo calicem lavare et tergere ne-  
 quit, sub praetextu praefatae licentiae, qui jam celebravit  
 vel statim non celebraturus est, vel non ministrat sacerdoti.

90.- 1895. Adm.1: Ad memoriam revocamus n.12, Cap.XXVII Ordi-  
 == narii, quo celebranti praescribitur ut Sacrum Christi Cor-  
 pus, genibus aliquantulum flexis, non tantum inclinatus, su-  
 mat, nec se postea erigat nisi ad discooperiendum calicem.

91.- 1906. Ord.2: Uniformitatis causa et quia praesertim in

his diebus divina indigemus miseratione, volumus ut nullus, post Missam, trinam omittat invocationem: "Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis."

292.- 1932. Adm. 3: In Communionem intra Missam, nisi paucissimi sint communicantes, distributio Sacrarum Hostiarum fiat semper cum pixide.

293.- 1604: Serventur n. 8, Cap. XXIII, et n. 2, Cap. XXXII Ordinarii videlicet quod Sacrista, diebus ferialibus et duodecim Lectionum hora una vel una cum dimidia post Primam, pulset ad Missam Conventualem, ante quam officialibus tantum seu etiam alicui seni cum permissione Prioris liceat facere Sacrum. Completa autem Missa Conventuali, sacerdotes, bini et bini, prout fit in Cartusia, juxta selectionem Superioris, pergant ad sacella sibi a Sacrista deputata, et se invicem adjuvantes, unus post alium dicant Missas suas. Et si quis sacerdotem sibi a Superiore assignatum adjuvare recusaverit, pro qualibet vice privetur vino et pitantia, nec super hoc Prior sine evidenti et urgenti causa dispensare valeat. Si quae tamen Domus Conversos habeat otiosos aut Monachos non celebrantes, poterit illos Prior deputare sacerdotibus senioribus aut magis occupatis.

294.- 1744: Damnamus tanquam dedecentem et menti Statutorum contrariam consuetudinem eorum qui privatam Missam celebrant diebus Dominicis et Festivis dum cantatur Missa Conventualis; cui proinde Missae Conventuali ordinamus ut omnes assidue intersint; in hac autem Ordinatione, non solum claustrales sed et officiales atque ipsos Priores intelligi declaramus.

3º: MISSA: Intentio Missae seu applicatio:

295.- 1508: Quando Prior per se sive per alium in Conventu vel alibi injungit Monachis celebrare aliquas Missas, sive sint pro secularibus vivis aut defunctis, sive etiam pro quibuscumque aliis, nullus Monachorum praesumat contradicere vel hujusmodi Missas celebrare quoquo modo refutare audeat sub poena per Priorem arbitranda. (In Pr. Picardiae)

296.- 1839. Ord. 7: Missae Conventuales diebus Dominicis, sicut et in Solemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Sanctissimi Nominis Jesu, Ascensionis, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistae, Assumptionis Beatae Virginis Mariae, Sancti Patris nostri Brunonis, et Omnium Sanctorum semper pro variis totius Ordinis nostri necessitatibus applicentur.

97.- 1913. Ord.3: Processionem in honorem SSmi Cordis Jesu, quae praescripta fuit in Ordinatione 6a anni 1880 pro Domibus Franciae, et ad caeteras Domos extensa per Ordinationem 3am anni 1904, amplius fieri nolumus; et, ejus loco, cantetur pro necessitatibus Ordinis, initio cujusque mensis, feria sexta, vel ea impedita, alia die vacante, Missa de Sacratissimo Corde Jesu.

98.- 1894. Ord.3: Volumus ut quolibet anno, feria secunda, quae est prima dies Capituli Generalis, omnes Missae, tam conventuales quam privatae, ad intentionem ipsius Capituli Generalis celebrentur, exceptis tamen Missis quae ex debito redduntur.

4°: MISSA votiva de Beatis prohibita:

99.- 1879. Adm.1: Missae votivae de Beatis prohibentur, juxta Decretum Sacrae Congregationis Rituum, sub die 3 Junii 1676.

5°: QUIBUS MISSIS Fratres intersint:

100.- 1882. Adm.3: Uniformitatis causa, Missae pro gratiarum actione ante Adventum, et omnibus Missis Defunctorum quae ad Priorem pertinent, adsint Conversi et Donati.

101.- 1910. Ord.2: Ut cunctae personae Ordinis pro directione Capituli Generalis simul orent, Missae Conventuali de Spiritu Sancto in omnibus Domibus Fratres intersint.

102.- 1912. Ord.3: In die Solemnitatis SSmi Cordis Jesu Fratres Missae Conventuali intersint, sed ab operibus non cessent.

#### MONACHATUS:

103.- 1447: Quoniam in persolutione beneficiorum spiritualium ob remedium fidelium defunctorum sparsim in Statutis nostris ordinatorum propter varias multorum interpretationes a personis Ordinis saepius aequivocatur, nonnullis minus in praejudicium animarum, nonnullis plus in gravamen Ordinis sentientibus; ut uniformitas per totum Ordinem de caetero observetur, declaramus quod beneficium Monachatus a quo tanquam a majori caetera minora beneficia spiritualia derivantur, jure Statutorum nostrorum importet: 1°: Brevem, 2°: Tricenarium, 3°: Anniversarium perpetuum, 4°: Duo Psalteria vel pro quolibet Psalterio tres Missas. Et ideo Priores sint solliciti quod persolutio Tricenariorum ipsorum Monachatum et



descriptio Anniversariorum eorumdem in Calendariis Conventualibus pro debito conscientiae et animarum defunctorum salute fiat amodo diligenter.

304.- 1883. Adm.3: Quicumque debet Monachatum debet et Brevem; nisi sit in Domo in qua Defunctus gaudet Tricenario singulari.

305.- 1885. Adm.3: Si plenus cum Psalteriis Monachatus per totum Ordinem conceditur alicui personae Ordinis, non duo sed unus tantum Monachatus persolvitur, et in Domo Professionis et in Domibus associatis.

=====

MONIALES: (Vide etiam: 1645-1707)

1°: De Monachis in Domibus Monialium degentibus et de accessu ad Domos Monialium.

2°: De receptione.

3°: De ritu apud Moniales.

4°: De vestimentis.

1°: De Monachis in Domibus Monialium degentibus et de accessu ad Domos Monialium:

306.- 1422: Ordinamus quod Monachi habitantes in Domibus Monialium habeant locum aptum ad recognoscendas culpas suas et defectus diebus Capituli, secundum morem Ordinis et quod non manducent cum saecularibus nec ipsos admittant ad mensam suam in cellis suis.

307.- 1589: Ut quieti et utilitati nostrarum Monialium consueamus, prohibemus omnibus personis Ordinis nostri ne ad illarum Monasteria adeant, nec suos famulos mittant, nec ab illis munera vel litteras accipiant vel dent; si quid tamen Priores vel Conventus dare, eleemosynae nomine, ipsis Monialibus voluerint, mittant illud non singularibus personis, sed totae Domui et Conventui earum. Visitatores tamen poterunt ad Domos illarum proficisci, secundum formam Statuti; quam Ordinationem extendimus ad omnes Moniales exterarum Religionum.

308.- 1894. Adm.8: Ad mentem n.45 et 46, Cap.XXII, IIae Partis Statutorum, nulla persona Ordinis adeat Domos Monialium absque praevia licentia Reverendi Patris.

## 2°: MONIALES: De Receptione:

09.- 1947. Ord.7: Cum rerum oeconomicarum conditiones semper  
 == graviores et mutabiliores evadant, ad tempus tantum dotem  
 Monialium determinare possumus. Exigantur ergo ducenta mil-  
 lia francorum gallicorum, sive quadringenta millia libella-  
 rum italicarum, seu viginta millia libellarum hispanicarum (  
 (vulgo "pesetas"). Quas normas Reverendus Pater mutabili  
 valori monetae cartaceae adaptare poterit.

## 3°: MONIALES: De Ritu:

10.- 1442: Et de forma Consecrationis Monialium de qua Vicarius  
 == Domus Sanctae Mariae prope Bethuniam alias scripsit Capitulo  
 Generali, de caetero teneant formam quam tenent Sorores Domus  
 nostrae Sanctae Annae prope Brugis quam credimus eis securio-  
 rem. (Pr. Picardiae Propinquioris).

11.- 1589: Priorissae Monialium Gosnay et nostris Sororibus  
 == permittimus ut in Refectorio possint legere ex Sacris Bi-  
 bliis vulgari sermone redditis per Facultatem Lovaniensem,  
 cum aliis piis libris. (Pr. Picardiae)

12.- 1875. Adm.17: Moniales nunquam stola induantur, nisi in  
 == die Consecrationis, in quinquagesimo ejusdem Consecratio-  
 nis Anniversario, et in die sepulturae.

13.- 1879. Adm.4: In Domibus Monialium, quoties Missa canta-  
 == tur recto tono, servetur omnino n.14, Cap.LIII Ordinarii!

14.- 1887. Adm.6: In Domibus Monialium, sive cantetur Missa  
 == Conventualis, sive dicatur sine nota, semper cum Diacono  
 celebretur.

15.- 1900. Adm.8: Moniales hortamur ut non suscipiant indis-  
 == crete onus multarum precum seu orationum vocalium; reassu-  
 mant potius quantum poterunt et semper sub directione Vica-  
 rii recitationem suffragiorum quae, juxta tenorem Statuti,  
 debentur defunctis Ordinis nostri, non obstantibus n.37 et  
 sequentibus Caeremonialis.

## 4°: MONIALES: De Vestimentis:

16.- 1291: Statuimus quod Conversae Monialium quae de caetero  
 == recipientur non portent velum nigrum. - Et si qua Monialis  
 de caetero de incontinentia convicta fuerit vel confessa, in-  
 ter caeteras poenas velo careat nigro in perpetuum sine spe

aliqua rehabendi. — Item statuimus quod Moniales habeant in scapulariis suis vittas more Monachorum, Conversae vero non.

317.- 1601: Vestes Monialium fiant et reducantur ad formam vestium Monachorum Ordinis, nec unquam de caetero celebrentur ea quae vulgo jubilaea appellant, tam Priorissae quam Monialium.

=====

MULIERES: (Vide etiam: 1709-1727)

318.- 1392: Sollicite nobis providendum est ne tam sollemnis observantia a sanctis Patribus, inspirante Deo, ab antiquis temporibus utiliter introducta et observata quod mulieres non solum cohabitare cum personis Ordinis sed nec terminos nostros intrare permittantur, ex negligentiae causa, ad nihilum deducatur.....

319.- 1470: Hortamur et monemus Visitatores singulos omnium Provinciarum ut propter scandala et pericula quae contingere possunt ex nimia familiaritate Monachorum Ordinis cum mulieribus, plus solito solliciti sint restringere hujusmodi colloquia ac limitare, considerata diligenter personarum qualitate, et in Visitationibus suis diligenter inquirent de hujusmodi colloquiis et talia restringant prout Ordinis honestati ac saluti animarum noverint expedire, et nihilominus seriose monemus omnes personas Ordinis tam praelatos quam subditos quatenus cum humilitate in dictis praemissis Visitoribus obediunt, si Dei et Ordinis voluerint effugere indignationem.

320.- 1679: Ne ulli unquam pateat aditus detorquendi per fictas interpretationes prohibitionem a Sanctis Pontificibus factam circa ingressum mulierum quarumcumque in clausuras nostras Monasticas, prohibemus etiam in virtute sanctae obedientiae, tum Prioribus et officialibus, tum aliis quibuscumque personis Ordinis et sub poenis contra inobedientes praefixis ne quascumque mulieres admittant, sive licentiarum praetextum habeant, sive non habeant, nec ingredi sinant praefatas clausuras Monasticas in Statutis expressas.

321.- 1736: Prohibemus sub poena absolutionis Priorum et officialium, ne mulieres cujuscumque conditionis habitent vel etiam intrent hospitas et grangias Ordinis in quibus Piores et officiales vel Fratres dormire solent, vel etiam moram facere pro negotiis Domorum expediendis.

- 22.- 1897. Ord. 2: Ut constat ex Statutis mulieres apud nos nullatenus ad confessiones faciendas recipiuntur (Ia P. Cap. VII, n. 14). Pariter directionem spiritualem, etiam per epistolam, cujuscumque mulieris, licet propriae matris vel sororis, interdiximus omnibus personis Ordinis.
- 23.- 1898: Proinde Priores sedulo legant litteras quas sui subditi mittunt ad hujusmodi personas, vel ab eis recipiunt, ne forte in eis inveniatur aliquid contrarium huic Ordinationi nostrae.

=====  
 MURMURATIO: (Vide etiam: 1728-1731)

- 24.- 1404: Personae Ordinis quae, quando corriguntur a Prae-  
 latis suis, vel alias non fit ad voluntatem earum ut plurimum inordinatam, murmurant, dicentes velle se mutare ad alias Domos, et procurare sibi licentiam Ordinis, vel jam habitam uti cum ibi non possint habere pacem, vel alias similes instabilitates praetendentes: quoties hoc fecerint vel dixerint, prima die Capituli clament culpas suas, et in refectorio ad terram comedant, abstinentes a vino; nec Praesidentes possint super hujusmodi poena dispensare.

=====  
 MUTATIO DOMUS: (Vide etiam: 1732-1739)

- 25.- 1261: Capitulum Generale potest ex plenitudine potestatis quamcumque Ordinis personam collocare ex causa rationabili in quacumque Domo Ordinis.....
- 26.- 1305: Recreationes non dentur pro absentibus vel recipientibus a Domibus.
- 27.- 1396: Personae Ordinis suos Priores non infestent quod ad alias Domos se transferant, alioquin incurrant generalem Ordinis disciplinam.....
- 28.- 1545: Injungimus Prioribus et aliis Domorum Praesidentibus in Provinciis Cathaloniae et Castellae quod Monachis seu Conversis qui per Ordinis obedientiam mittuntur ad alias Domos Ordinis nihil dent, seu secum deferre permittant, praeter vestes et alia quae Statuta concedunt cum viatico itineris prout judicaverint congruo. Et ipsi sic emissi, recta via et sine mora non necessaria ad Domos ordinatas pergant, alias tanquam fugitivi puniendi, super quo volumus quod Visitatores,

pro Dei et Ordinis honore et animarum salute diligenter et ferventer invigilent.

329.- 1571: In Provincia Teuthoniae: Cum Monachi seu Laici Fratres, ob suam instabilitatem aut aliam culpam, mittentur ad alias Domo, nullo modo permittantur visitare parentes seu amicos in itinere, nec etiam remorentur in cameris hospitem, sed statim recipiant se ad claustrum.

330.- 1602: Servetur n.5, Cap.XXI, Iae P. St.: Et si quis ad aliam Domum missus, per se vel per alium detulerit aliquid praeter id quod habetur in dicto numero, sine licentia Prioris Domus e qua discedit, in scriptis obtenta, tanquam proprietarius puniatur.

331.- 1627: Pro exactiori observantia n.4, Cap.XXI, Iae P. St., declaramus eos qui ab una Domo ad aliam missi notabiliter divertunt a recto itinere, teneri poena fugitivorum, et eos qui pecunias sibi pro viatico datas in alios quam itineris usus impenderit sine expressa licentia Superioris teneri poena proprietariorum; super quibus Superiores invigilent, et debitam justitiam faciant, facta diligenti inquisitione.

332.- 1648: Servetur n.4, Cap.XXI, Iae P. St., ut in recreationibus quae dantur Monachis, quando emittuntur e Domibus vel ad eas missi adveniunt, non accedant omnino ad vicinas civitates vel alia loca praeterquam spatia Domorum ordinaria, sub poena recipiendi disciplinam super nudum a Praesidente in Capitulo.

333.- 1648: Item, ut tollatur abusus fardellorum qui contra formam Ordinis et religiosam paupertatem invaluit, servetur n.5 ejusdem Cap.XXI, sub poena proprietatis contra transgressores, adempta licentia Prioribus super eo dispensandi.

334.- 1648: Item illam quae incipit: "Pro exactiori observantia" confirmamus, addentes et eos qui in itinere moram nimiam fecerint, eadem poena fugitivorum teneri, etiam si illa fuerit in grangiis sive aliis in locis Domorum Ordinis, nec super his possint Priores dispensare.

335.- 1733: Ex universis fere Domibus Ordinis audivimus personas nostras quae per Chartam Capituli Generalis vel super annum ad alias Domo mittuntur, in contemptum Statutorum nostrorum et Ordinationum Capituli Generalis, cellae utensilia, libros, vestimenta duplicia et alia multa secum defer-

re, post adventum etiam in praefatis Domibus eas retinere et residuum pecuniae illis pro viatico datae vel reservare, vel sub quibusdam praetextibus in via expendere, vel tandem post adventum in praefatas Domo alicui credere restituenda. Sciant igitur hanc esse mentem Statutorum et Capituli Generalis, ut secundum formam a Statutis praefixam in n.5 et n.8, Cap.XXI, Iae Partis Statutorum exeant, et ideo renovamus et stricta deinceps in Ordine observari volumus Ordinationem Capituli Generalis anni 1602, quae incipit: "Servetur, etc...." adempta Prioribus juxta praefatam Ordinationem super eo dispensandi licentia, injungentes Visitatoribus ut diligenter invigilent ad praesentis Ordinationis executionem.

336.- 1879. Adm.9: Priores invigilent ut serventur n.5 et n.8, Cap.XXI, Iae Partis, circa ea quae Monachi, Domum mutantem, secum ferre queunt.

337.- 1891. Adm.9: Juxta n.4, Cap.XXI, Iae P. St., non licet cuique nostrum, quando ex una Domo ad aliam mittitur, a recto itinere notabiliter divertere, nec in itinere morari nimis. Praesidens igitur Domus a qua discedit scribat, sicut loco praeallegato injungitur, Priori Domus ad quam mittitur, diemque exprimat recessus ejus a sua Domo, ut inde colligere possit Prior si moram nimiam fecerit religiosus ille. Quos in hoc culpabiles invenerint, pro modo culpae Priores puniant.

338.- 1900. Adm.3: Non licet unicuique nostrum, quando ex una Domo ad aliam mittitur, a recto itinere notabiliter divertere, nec in itinere morari nimis. Ad memoriam Priorum revocamus Ordinationem anni 1648 (supra n.333), juxta quam super his dispensare nequeunt.

339.- 1949. Adm.2: Renovamus Admonitionem 9am anni 1879, qua prohibetur Monachis Domum mutantibus ne aliquid secum deferant, praeter ea quae a Statutis, n.5, Cap.XXI, Iae Partis, permittuntur.

=====

NEGOTIA DOMUS VEL ORDINIS: (Vide etiam: 1740-1763)

(De non se ingerendo in negotiis.....):

340.- 1432: Nullus Monachorum Domus Cartusiae aut Conventus ejusdem intromittat se tam active quam passive de factis Ordinis aut singularum Domorum vel Personarum, etiamsi ab iisdem Domibus vel Personis litteras receperint, nisi secundum quod Statuta nostra permittant, alias volumus per

Reverendum Patrem Cartusiae dictorum Monachorum importunas instantias non admitti.

- 341.- 1433: Injungimus Visitoribus quod Monachos et alias Domorum personas qui se supra id quod Statuta concedunt de administratione temporalium, cum non ad eos sed ad Priorem temporalis administratio pertineat, se intromittere praesumant, ferventer corripiant et corrigant ut a talibus praesumptionibus arceantur.
- 342.- 1583: Cum ad monasticum, maxime Cartusianum statum pertineat solitudini cellae et silentii observationi intendere, nos, curiositati quorundam Monachorum antiquorum, qui sapientiam antiquorum minime aemulantur, remedium congruum adhibere volentes, ordinamus ne Monachi antiquiores nec alii se unquam ingerant negotiis externis et temporalibus Domorum suarum, nisi a Priore vel Vicario requisiti aut vocati, alioquin priventur colloquio et spatiamenti.
- 343.- 1767: Colloquia de regimine Domorum quae Monachos non decent, sed potius pacem perturbant, merito reprehendimus.

NOVITATES: (Vide etiam: 1764-1767)

- 344.- 1295: Cum ex novitatibus quasi semper dissentiones oriuntur, silentium imponimus universis et singulis praesentibus et posteris attentandi de caetero quo aliquid contra manifestum rigorem Ordinis immutetur.
- 345.- 1887. Adm.5: Quae ad decus commoditatemque vitae pertinent quaerere nimis, amplecti promptius, servare studiosius, monasticae conditioni omnino repugnat, maxime cum novitas novitatem invocet, nihilque antiquius habuerint Patres nostri quam ab eremis Cartusianis arcere novitatum pestem. Itaque hortamur Monachos nostros ut dispositiones circa hanc materiam libentius accipiant, ne forte abnegationis et obedientiae meriti particula ipsos praetereat.
- 346.- 1951. Adm.: De celebratione Missae quam in Solemnitatibus majoribus omittimus, ut omnes de manu Prioris filiali animo Panem Vitae accipiamus, et de aliis quibusdam consuetudinibus, quas aliqui in melius, ut putant, mutari velint, omnibus mature perpensis, nihil innovandum esse judicavimus. Haud spernendae quidem videntur rationes allatae, sed nos tardissimo pede viam novitatum calcare oportet, et traditi-

347] NOVITII

nes nostras nunquam levi animo tangere, etsi nonnullae sola auctoritate temporis fultae forsitan appareant. Alias Religiones imitari nolumus, quas hodie amare poenitet venerandas consuetudines, sive monasticas, sive liturgicas, olim dimis- sisse, cum, jactura semel facta, bonum amissum vix recuperari possit. Ad propositum cartusiense specialiter quod attinet, scimus damnum magnum spiritui Ordinis inferri posse, nisi formis traditis simpliciter et constanter adhaereatur. Ne- quaquam nostrum est volvere cum saeculo, sed in Cruce Domi- ni stare.

NOVITII: (Vide etiam: 1768-1790)

- 1°: Circa receptionem.
- 2°: Circa bona.

1°: NOVITII: Circa receptionem:

347.- 1336: Monemus omnes Priores et Conventus ut in receptione Novitiorum sint magis solliciti et attentivi et ea quae de ip- sa receptione continent instituta diligentius studeant obser- vare, inquirentes de eorum sufficientia et moribus et ut il- lorum qui minus sufficientes reperti fuerint receptioni non consentiant ullo modo, nec recipiant eos subito, sed ad de- liberandum assignent eis terminum competentem.

348.- 1405: Monemus Priorem Domus Cellae Salutis in Tüchel- hausen ut in receptione Novitiorum sit magis cautus, nec sine voluntate et consensu Conventus audeat alicui Novitio ali- quid certi de sua receptione promittere. (Pr. Alemanniae In- ferioris).

349.- 1544: Hortamur omnes et singulos Priores ut cum suis Con- ventibus solliciti sint et circumspecti in recipiendis No- vitiiis, examinando diligenter an sint praedicti bonis mori- bus et ad omnia quae sunt Ordinis voluntarii et idonei, ne aliter ex levi et indiscreta receptione per sic receptos Do- mus Ordinis postea habeant molestias et gravamina, et ne ex- inde etiam animarum pericula et scandala religionis oriantur.

350.- 1566: Quia ex indiscreta receptione Novitiorum et perso- narum ad Ordinem, multa mala et scandala occurrerunt, horta- mur, praecipimus et prohibemus Prioribus et Conventibus Domo- rum Ordinis, ad formam Statuti, ne de caetero recipiant per- sonas ignotas et de quibus debita informatio haberi non po-

[350] NOVITII



test, et exactam diligentiam adhibeant ad bene probandum personas receptas, ne eas ad Professionem admittant, nisi probabiliter cognoverint aptas et ductibiles, et de communi et saniori consensu Conventus, quas instruendas committi volumus ad discretionem Prioris, personis idoneis et non juxta consuetudinem quarundam Domorum; quorum Priorum conscientias oneramus, quia ex defectu directorum, multi deficiunt aut male proficiunt.

351.- 1594: Quoniam ex bona Novitiorum receptione et educatione praecipua Ordinis nostri reformatio et profectus pendet, ordinamus ut in posterum nullus recipiatur Novitius in Domibus in quibus nec Divinum Officium cum cantu et celebritate debita persolvitur, nec cellae et silentii aliarumque regularium observantiarum custodia exacte servari potest. In caeteris vero Domibus non aliter recipiantur Novitii nisi cum consilio Visitorum aut alterius eorum, quando ambo consuli non poterunt..... Volumus praeterea ejusdem Domus Novitios unius Magistri directione institui juxta formam ab Ordine praescribendam quae ut exactior prodeat, committitur Visitoribus Provinciarum quatenus seligant aliquos Priores aut Monachos suae Provinciae, doctrina, experientia et zelo Ordinis praestantiores, qui formam instituendorum Novitiorum describant et ad Reverendum Patrem Priorem Cartusiae mittant ut ex omnium laboribus per aliquos a se deligendos Directorum Novitiorum colligatur et praescribatur, offerendum postea Capitulo Generali et ejus judicio adhibito imprimendum nomine totius Ordinis.

352.- 1597: Cum vero constet ex bona vel mala receptione et institutione Novitiorum, profectum vel defectum Ordinis nostri, tam in numero quam in merito personarum praecipue pendere et in parvis Domibus in quibus pauciores quam octo utiles Monachi resident, qui Divinum Officium cum nota integre non persolvunt, non possint Novitii sufficienter ad omnia quae sunt Ordinis institui; ideo, confirmantes Ordinationem factam annis 1594 et 1595, statuimus ut in dictis parvis Domibus non recipiantur nec retineantur Novitii, sed in his duntaxat in quibus Divinum Officium, etiam nocturnum, cum nota cantatur, et regularis observantia perfectius custoditur.....

353.- 1679: Sollicite invigilent Priores educationi spirituali Novitiorum et Juniorum Monachorum, sciantque nihil esse majoris momenti in Ordine, in quo olim nominabantur in singulis Provinciis examinatores Novitiorum, sicut nunc nominantur Visitores; cum ex educatione pendeat omnis fere profectus spiritualis ac proinde observantiae regularis vigor

apud Monachos, praesertim solitarios prout nos sumus quibus si desit vitae et militiae spiritualis theoria quam bene ad praxim postea redigant et discretio ex prudenti et devota devotione assumpta, sicca fit eis solitudo et parum proficua. Super quibus sollicite etiam inquirant Visitatores atque etiam interrogent de circumspectione, an servetur in admissione Postulantium et receptione Novitiorum, ut ii tantum apud nos recipiantur, quorum vocatio sit bene probata, et corporis animique dispositio ad Ordinis exercitia idonea, nec unquam detur locus indiscretis favoribus, humanis respectibus ac imprudentibus compassionibus aut affectibus quibus via paratur sub praetextu charitatis ad clades et ruinas observantiae regularis Ordinibus regularibus obvientes ex indevotione, inaptitudine aut imbecillitate receptorum qui postea saepius sunt caeteris in vitae laxioris exemplum, aut in scandalum. Et si quos Priores, in re tanti momenti, ex qua totius vitae religiosae ratio, totiusque Ordinis bonus dependet status, remissos aut culpabiles invenerint, denuntient illos statim Reverendo Patri aut Capitulo Generali ut congruum apponatur remedium, nec multiplicari sinatur gens apud nos absque magnificatione laetitiae.....

354.- 1753: Monemus singulos Priores ut magis sint solliciti, quatenus servetur Ordinatio anni 1679, quae incipit: "Sollicite invigilent Priores, &c...", et Visitatores super hoc invigilent, ne juniores Professi, defectu spiritualis institutionis et theologici studii postmodum inutiles fiant aut onerosi, et vocationis suae bravium non assequantur.

355.- 1779: Sollicitius servetur Ordinatio Capituli Generalis anni 1679, circa receptionem et educationem spiritualem Novitiorum qui admittuntur in Ordine.

356.- 1879. Adm. 5: Priores adhortamur ut magis ac magis sint solliciti circa receptionem et educationem Novitiorum et juniorum Professorum, ne, ut fert Ordinatio anni 1679, multiplicetur gens apud nos absque magnificatione laetitiae.....

357.- 1893. Ord. 3: Iterum auque iterum Priores et Conventus hortamur ut sint circa Novitiorum receptionem solliciti et vigiles, meritum antepponentes numero. Ut re simul ac nomine Cartusianus quis fiat, velle non sufficit; requiritur etiam, cum solitudinis et vitae nostrae amore, quaedam specialis animi et corporis aptitudo, unde noscatur vocatio divina. His attendant Magistri, ad quos maxime pertinet subditos examinare et probare. Aliquem vero recipere vel retinere diutius, cum necessarias dotes deesse constat, falsa esset

et quasi crudelis compassio. Insuper, licet paternum imo et maternum cor gerere oporteat Magistros, virilis sit et vere monastica educatio tironum qui sub vexillo spiritualis militiae Deo servituri sunt, et cum daemoniis certaturi. Valde prodest studiis et operibus manualibus vacare; nec tamen plerumque satis est ut cellicola occupetur, et ad mortem usque laudabiliter perseveret. Aliud requiritur, in altiori nempe vel remissiori gradu spiritus orationis et precum; quo deficiente parum proficeret in caeremoniis fidelitas necnon regularis observantia; vitaeque nostra corpori anima destituto jure compararetur. Nihil igitur antiquius habeant Magistri quam spiritum hunc inculcare, magisque ac magis discrete augere. Haec adhortando dicimus; sed ad praxim devenientes, quae sequuntur ordinare opportunum in Domino judicamus atque ordinamus:

1°: Quolibet tertio mense Magister coram Priore, Vicario, Procuratore et saltem duobus ex discretioribus Domus rationem reddat de statu singulorum Novitiorum.

2°: Novitii et Professi votorum temporariorum nec spatiantis, quaecumque sint, nec recreationibus, nec Operibus Communibus una cum solemniter Professis intersint unquam.

358.- 1895. Adm.5: Instanter instantius praecipimus custodiri n.10, Cap.XVII, lae Partis Statutorum quo praescribitur examinari Novitius si tantum habet litteraturae quantum sufficiat Monacho, et Religioso ad sacerdotium promovendo; ideoque prohibemus in Domibus nostris quamlibet scholam linguae latinae.

359.- 1932. Adm.1: Instructionem de formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum deque scrutinio ante Ordinum susceptionem a Sacra Congregatione de Religiosis die la Decembris 1931 promulgatam, cum summa reverentia accepimus, eamque volumus, sicut praecepit ipse Summus Pontifex adamussim ab omnibus observari, et etiam in publico refectorio, quolibet anno, ante finem mensis Januarii, legi.

360.- 1947. Ord.4: Maximam in receptione Novitiorum sollicitudinem et vigilantiam persaepe omnibus Prioribus et Communitatibus Ordinis commendaverunt decessores nostri. Sed et nos, vituperabili indulgentiae Priorum, Procuratorum et Magistrorum remedium adhibere volentes, qui, Novitios, sive Monachos, sive Laicos, ab aliis Domibus ejectos, denuo admittere non dubitant, prohibemus sub poena nullitatis, ne ulli qui, quocumque titulo, in Domibus Ordinis vixerunt et postea coacte vel sponte exierunt, in alia vel in eadem Domo recipiantur, sine licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris. Super-

riores etiam qui tales personas noverunt consuli debent, et Priores qui eas recipere desiderant, onerata conscientia, plenam informationem de eis Reverendo Patri dare tenentur.

2°: NOVITII: Circa bona:

61.- 1407: Nulla Domus Ordinis bona Novitiorum ante Professionem eorum alienet etiam de consensu eorum aut per eos post receptionem alienari permittat, ne mutato proposito recedentes et retro aspicientes, impugnent quod ante concesserunt, lites et quaestiones excitando in damnum expensarum et Ordinis scandalum et vexationem.

OBEDIENTIA: (Vide etiam: 1791-1838)

1°: Exhortatio generalis.

2°: erga Capitulum Generale vel Reverendum Patrem.

3°: erga Visitatores.

1°: OBEDIENTIA: Exhortatio generalis:

62.- 1891. Adm. 6: In memoriam quorundam revocamus quod, juxta n. 25 et n. 27, Cap. X, Iae Partis Statutorum nostrorum, disciplinas, vigiliis seu quaelibet alia religionis exercitia, quae nostrae Institutionis non sunt, facere non liceat nisi Priore sciente et favente; et quod repugnare fas non habeamus, non solum si cui nostrum Prior durum et grave aliquid praeter Statuta imponere voluerit, sed et si voluerit indulgere ut plus sibi indulgeat in cibo et somno, vel alia qualibet re quam Statutum decernat. Sicut excitanda est animorum remissio, ita pro bono Ordinis, pro bono subditorum, etiam spirituali, reprimendus est temerarius ac indiscretus fervor. Nec sui ipsius, sine licentia Prioris, potestatem habet professus; et melius est auscultare, quam absque debito consensu, vel cum subrepticia licentia, offerre adipem arietum.

2°: OBEDIENTIA erga Capitulum Generale vel Reverendum Patrem:

63.- 1341: Quando aliquid praecipitur a Capitulo Generali vel a Priore Cartusiae aliquid reddere vel facere, et non praefigitur certus terminus ad exequendum quod sibi praecipitur, quantocyus potest implere tenetur et quicumque illud quod sibi de caetero injungetur distulerit sine rationabili causa adimplere, abstineat a vino quousque adimpleverit, et in sequenti Capitulo clamet culpam suam.

- 364.- 1399: Decrevimus velut et Statuta nostra persuadent Or-  
 --- dinationes ultra non multiplicare nisi necessitas aliqua  
 vel utilitas multum honesta coegerit. Sed exhortamus omnes  
 personas in Domino Ordinis nostri quod quilibet in gradu  
 suo ut sollicite jam stantes sollicite observent, et singu-  
 lariter Priores per quos deficit vel viget Ordo in Domibus  
 Ordinis monemus et obsecramus in Domino ut illas diligenti  
 studio servent in se, et ab eorum subditis faciant observa-  
 ri si Dei et Ordinis voluerint effugere ultionem.
- 365.- 1407: Reprobamus indiscretionem quamplurimarum personarum  
 --- Ordinis quae praecipue tempore Capituli contra multas pro-  
 hibitiones et admonitiones ejusdem Capituli suis prolixis  
 et inordinatis litteris legentes et audientes attaediare  
 conantur ut apparet, et semetipsos inaniter vexant quia ta-  
 les indiscretae litterae non solum responsione sed etiam  
 lectura reputantur indignae.
- 366.- 1424: Quia multi sunt in Ordine nostro, quod dolenter re-  
 --- ferimus, qui de Ordinationibus seu mandatis Capituli Gene-  
 ralis seu Visitorum modicum curant, nec etiam implere cum  
 diligentia student, imo contra eas ausu temerario reprehen-  
 sibiliter excedunt, ideo tenore praesentium ordinamus ut  
 quicumque Ordinationes Capituli Generalis seu Visitorum  
 factas non impleverit cum effectu, justo ac legitimo cessan-  
 te impedimento, aut eisdem Ordinationibus contradictor fue-  
 rit, si Prior fuerit, vino et cervisia careat, si vero sub-  
 ditus, similiter faciat donec impleverit easdem cum effectu.

3º: OBEDIENTIA erga Visitatores:

- 367.- 1571: Prohibemus ne quis Monachorum aut Laicorum audeat  
 --- Visitoribus resistere in exequendis ordinatis in Charta  
 Capituli nostri Generalis sive etiam in litteris privatis  
 ad eosdem scriptis; Visitatores stricte puniant inobedien-  
 tes et rebelles aut per nos puniendos significant.

OBSERVANTIA: (Vide etiam: 1840-1863)

- 368.- 1621: Hortamur in visceribus Christi omnes Superiores  
 --- ut majorem zelum ostendant, ad tuendam in suis Domibus  
 Statutorum Divinique cultus observantiam.....

- 369.- 1893. Adm.7: Infirmis quidem omnia necessaria et expe-  
 --- dientia caritative praeparentur: qui tamen ne superflua

vel impossibilia petant, vel murmurando servientes contris-  
tent, monentur attendere. Sed sanos et bene valentes quae  
Conventui apponuntur respuere, alia exigere fercula, imo  
absque ulla licentia ad Coquinarium recurrere, hoc vel il-  
lud petere, quantum dedeceret in promptu videre est. Tales,  
si (quod absit) apud nos invenirentur, Monachos aut Conver-  
sos, Priores corripiant, puniant, denique Reverendo Patri  
denuntient. Reprehendendi sunt quoque qui Choro, Refectorio  
et exercitiis communibus facilius non interessent, qui cir-  
ca silentium et cellae custodiam remissos se exhiberent.

FFICIALES: (Vide etiam: 1864-1876)

- 1°: quoad nominationem.  
2°: quoad vestimenta quando egrediuntur e Domo.  
3°: quoad residentiam vel nimiam multiplicationem.

1°: OFFICIALES: Quoad nominationem:

70.- 1905. Adm.2: Vitent Priores, quantum fieri poterit, Mo-  
nachos citius post solemnem professionem ad officia, maxi-  
me Procuratoris, promovere.

71.- 1578: Declaramus obedientias Procuratoris, Vicarii et  
Sacristae et hujusmodi, arbitrio Prioris disponendas et  
committendas esse illis quos judicaverit magis idoneos et  
aptos, nullo habito respectu antiquitatis. (In Domo de Co-  
vis - Pr.Castellae)

72.- 1796: Juxta mentem Statutorum, nulla habita ratione an-  
tiquitatis, ii soli instituuntur officiales quos commendat  
regularis conversatio et qui ad opus ad quod assumpturi  
sunt magis idonei in conscientia reputantur. (In tribus  
Provinciis Italiae)

2°: OFFICIALES: Quoad vestimenta, quando egrediuntur:

73.- 1647: Priores et officiales ex quacumque causa accedentes  
ad urbes, decentes per eas incedant, hoc est cum cappa ta-  
lari, ad formam Ordinis, sub poena absolutionis a suis offi-  
ciis. (In Provincia Burgundiae)

3°: OFFICIALES: Quoad residentiam vel multiplicationem nimiam:

74.- 1678: Insequentes speciale mandatum Innocentii X, Reveren-  
do Patri Cartusiae, sub data Romae 20 Decembris 1652 direc-

tum, prohibemus omnino ne officiales Domorum Ordinis fixum in quibusdam Grangiis aut obedientiis extra Monasterium habeant domicilium, sed tantum illuc accedant, ibique remaneant quantum negotia ibidem ab ipsis personaliter gerenda aut dirigenda requirunt, et non amplius, commendantes Visitatoribus Provinciarum ut super hac re sollicite invigilent, nec ullas unquam admittant excusationes, nisi urgens aliqua necessitas ad tempus id exigat, de qua etiam necessitate informationem capiant et redigant in scriptis, quasi rationem in sequenti Capitulo Generali de hoc reddituri. Hac vero necessitate transacta, aut negotiis expeditis, officiales ad observantias regulares in Monasterium redeant, sciantque, tam Priores Domorum quam Visitatores Provinciarum quod nisi in his omnimodam adhibeant diligentiam, damna inde Ordini et animabus sibi creditis a Deo obvenientia in caput illorum, tum in Dei iudicio, tum in Capituli Generalis nostri censura retorquebuntur; hancque Ordinationem in omnibus locis servari mandamus. Similiter, ne abusus ex officialium ad externa multiplicatione oriantur, prohibemus ne ulla fiat nova officialium creatio absque speciali licentia Capituli Generalis aut Reverendi Patris; si vero nunc reperiantur superflui, mandamus Visitatoribus ut curent ad pristinum et necessarium numerum, quamcitus commode poterit, restitui; illorum etiam quoad hoc onerantes conscientiam, quasi de hac re rationem districto Judici redditurorum, atque etiam Capitulo Generali.

375.- 1689: Ne abusus ex officialium ad externa multiplicatione  
 === oriantur, prohibemus singulis Prioribus, absque consensu Reverendi Patris, aliquem Monachum claustralem sive officialem absolutum et cellitam effectum, cujuscumque aegritudinis levandae gratia e claustrum educere et hujusce ita educti et ad exteriora vocati, facultatum inopiae praetextu, ad supplendos illius vices, alterum huic substituere et sic officialium numerum multiplicare: quod cum menti Ordinis et Capitulo Generali aperte adversetur, omnibus interdicitur.

376.- 1738: Renovantes Ordinationem anni 1678, etc....damnamus  
 === prohibitam a praefata Ordinatione multiplicationem officialium ad externa, sine Reverendi Patris vel Capituli Generalis licentia. Mittatur igitur quamprimum a Visitatoribus Provinciarum ad Reverendum Patrem series officialium Domorum Provinciae suae qui non habent obedientias necessarias, sed tantum titulos coloratos, ut pro sua prudentia quos absolvendos judicaverint, absolvat et ad numerum necessarium reducat.

377.- 1779: Hortamur, imo obsecramus Priores ut, attente per-  
 === pendentibus n.4, 5 et 6, Cap.XXIV, Iae Partis Statutorum, sese

378] OFFICIALES

irreprehensibiles exhibeant, ut a grege sibi credito, raro et non sine causa secedant, ut provideant ne sui officiales huc illucque vagandi cupiditate abrepti a Domo nimis frequenter absint, nec praesertim foris pernoctent, nisi necessitate urgente.

1778.- 1796: A saeculo non est auditum quod in quadam Provincia dentur officialibus recreationes per unum vel plures menses, visitationis parentum gratia, vel ad vagandum huc atque illuc. Tam grave et usque adhuc inauditum scandalum merito reprobantes, in virtute sanctae obedientiae, Prioribus et Visitatoribus praecipimus ut illud funditus extirpent. (Protribus Provinciis Italiae).

OFFICIORUM ACCEPTATIO: (Vide etiam: 1877-1885)

1579.- 1504: Intelleximus nonnullos impetrasse licentias a Reverendis Patribus Cartusiae inhabilitatis ad obedientias Ordinis ut cogi non possint, quas tanquam voto obedientiae contrarias, et in aliorum malum exemplum impetratas, omnino cassamus.

OFFICIUM DIVINUM: (Vide etiam: 1886-1894)

1680.- 1680: In parvis Domibus nondum conventualibus semper de nocte surgatur ad Matutinas, competenti hora, dicendas, et tum Matutinae, tum Missa, tum Vesperae quotidie saltem recto tono dicantur.

1831.- 1836: Pro Domo Pisarum: Nocturnum officium, hora congrua juxta Ordinis Statuta, id est, circa mediam noctem, pro temporum ac Festorum ratione, cum cantu celebretur, saltem quandiu sex Monachi sani Choro praesentes esse poterunt; alioquin noctu quidem, sed sine cantu.

OFFICIUM SEPULTURAE:

1482.- 1464: Quia in anno 1443 fuit declaratum quod in Agenda quae circa corpus defuncti dicitur, Vesperae debent Agendam praecedere, et non post Laudes subsequi et insuper tunc fuit ordinatum quod in posterum taliter servetur, cum per ipsam

382] OFFICIUM SEPULTURAE



I. OFFICIUM SEPULTURAE [383]

Ordinationem ritus Statutorum et modus dicendi ipsam Agendam usque tunc servatus fuerit immutatus; matura super hoc deliberatione facta et praehabita, ipsam Ordinationem ad formam et tenorem Statutorum reduximus, videlicet ut ipsa Agenda ab antiphona Dirige incipiatur, et post Laudes, Vesperae ultimo dicantur, sicut in Statutis continetur.

383.- 1696: Quia saepe accidit ut in parvis Domibus et etiam in aliis ubi plures Monachi aliqua infirmitate praepediuntur, vel propter alias causas notabile gravamen Conventui eveniat ex pernoctatione circa corpus defuncti, et ex officio sepulturae una eademque die integre faciendae, maxime in Quadragesima et in diebus Festivis; declaramus id quod in arbitrio Prioris ponitur in n.29, Cap. XXXIV Ordinarii, ad illud extendi, ut possit idem facere pro gravamine illo vitando, quod propter periculum n.25, Cap. ejusdem, exprimitur.

384.- 1877. Adm.6: Nullum debet esse colloquium aut recreatio eo die quo quis apud nos sepelitur (n.31, Cap. XXXIV Ordinarii); quod observandum est etiam diebus Capituli eoque in casu, post Nonam, non tenetur Capitulum.

385.- 1890. Adm.2: Qui crucem portant: Diaconus quando ad aliquem nostrum inungendum convenimus, et ultimus, pro sepultura defunctorum, cuculla ecclesiastica non induuntur. - Quando corpus fertur ad ecclesiam et ad sepulcrum, prius incedit qui portat aquam sanctam (n.9, Cap. XXXIV Ordinarii). - Cum ventum est ad sepulcrum, qui portant aquam et thuribulum stant a dextris sacerdotis (n.16). - Per totum Officium Procurator incensum in thuribulum ponit ipse (n.8). - Ad Missam Defuncti Diaconus hebdomadarius semper servit, nisi eodem die occurrit cantanda Missa de vivis quae ad Priorem pertinet ratione officii sui, juxta n.22, Cap. XXXIV Ordinarii; ad hanc enim majorem servit praefatus Diaconus, ad Missam vero defuncti, qui vices ejus supplet. - Mensas benedicit Hebdomadarius, vel qui ejus vices agit, si Missam eo die celebravit et alias etiam fuisset in Refectorio comedendum; alioquin Prior, vel qui ejus vices supplet, mensas benedicit (n.12, Cap. XXVIII Ordinarii - n.11, Cap. IX, Iae P. Stat.).

=====

OPERA COMMUNIA:

386.- 1893. Adm.10: Strictius servetur n.1, Cap. XVI, Iae Partis Statutorum nostrorum de Operibus Communibus ter in anno faciendis, trinis diebus; iudicio Priorum, Monachi occupentur.

[387] ORATIO

ORATIO: (Vide etiam: 1895-1899)

387.- 1911. Adm:1: Nonnullorum desiderio annuentes, ut facilius orationi mentali mane vacare queant, deinceps, diebus feriabilibus, primus pulsus ad Missam conventualem fiat hora septima, et secundus pulsus hora septima cum quadrante; spatium vero temporis inter Indulgentias et horam septimam Novitiis et Junioribus Professis assignamus ad mentalem orationem in oratorio faciendam, quae juxta Directorium post Missas privatas fieri debet.

Quod exinde tempus supererit ad studia proficiat.

Quoad Monachos solemniter Professos nihil immutatur in n.8, 10 et 11, Cap.XXIII Ordinarii.

ORATIONES:

388.- 1462: Ad mitigandam multiplicationem orationum tam in Missis conventualibus quam privatis secundum piam Statutorum nostrorum intentionem et aliorum Doctorum, est rationabiliter avisatum quod oratio "Omnipotens Deus christiani nominis, etc...", more solito dicenda potest sufficere contra Turcos ejusdem fidei inimicos, et oratio contra Turcos alias ordinata isto respectu potest cessare; admonentes Priores Ordinis ne amodo sint inclinati ad orationes in Missis praefatis multiplicandas.

389.- 1882. Adm.1: Quando dicitur in singulari oratio "Praetende...", Secreta minime mutanda est.

ORDINES SACRI: (Vide etiam: 1900-1903)

390.- 1332: Monachi, quando ibunt ad Ordines, vadant sociati bono et honesto famulo, et eundo vel redeundo, incedant recto itinere, nec faciant longam moram.

391.- 1658: Servetur n.20, Cap.III, Iae Partis Statutorum, ne Monachi, eundo ad suscipiendos Ordines aut revertendo, a recto itinere notabiliter divertant, aut ibidem inordinatam moram faciant. Et quia hactenus dubitatum est quaenam iudicanda sit notabilis diversio et inordinata mora, declaramus eos qui per tres horas a recto itinere divertunt, notabiliter divertere, omnemque moram non praecise ad ipsos Ordines suscipiendos necessariam, inordinatam esse moram: et eos qui

[391] ORDINES SACRI

ita divertunt, vel moram minime necessariam ibidem faciunt, etiam ad visitandos parentes vel consanguineos, teneri poena fugitivorum non minus quam eos qui ab una Domo ad aliam missi ob similem causam eadem poena tenentur; super quo nec Priores nec Visitatores possint dispensare.

392.- 1659: Ordinationem anno praeterito factam, quae incipit: **=== "Servetur..."**, confirmamus; attamen spatium trium horarum in ea expressum ex gratia ampliamus et ad sex horas extendimus, super quo nullus deinceps Capitulo Generali molestus sit.

393.- 1702: Pro tribus Provinciis Italiae: Quia novimus graves **=== abusus irrepsisse in missione juniorum Monachorum ad Ordines contra n.20, Cap.III, Iae P. St., prohibemus Prioribus sub poena absolutionis a suis officiis ne quidquam concedant aut permittant praeter id quod a Visitoribus trium Provinciarum cum scitu et consensu P.Procuratoris Generalis fuerit determinatum, et postea a Reverendo Patre approbatum.**

394.- 1746: Prohibemus omnino ne ulla in posterum Monachis, qui **=== ad Ordines mittuntur vel ex eis redeunt, concedatur recreatio, sed recta eant rectaque redeant via; reversique ad Domum, una eademque die duntaxat, accepta coena vel prandio in hospitem cameris, absque parentum vel amicorum convocatione, in proprias cellulas se recipiant.**

=====

PARENTES: (Vide etiam: 1904-1916)

395.- 1889. Adm.5: Ad mentem n.15, Cap.XXIV, Iae Partis Statutorum nostrorum de vitandis parentum visitationibus, volumus **=== ut, singulis diebus, unius tantum horae colloquium post duos dies concedatur si diutius maneant parentes, et cum mulieribus, nulla excepta, non permittatur exire.**

396.- 1180: Curas propinquorum suorum Fratribus nostris omnino **=== interdiciamus. Et ne eos mercenarios conducant sine licentia Prioris et Procuratoris.**

397.- 1278: Bonum est ne Priores multiplicent in suis Domibus **=== Conversos seu Monachos de uno sanguine et confinio.**

398.- 1286: Propter scandala et detrimenta Domorum quae videmus, **=== monentur Priores et aliae personae Ordinis fugere et evitare carnales parentum affectiones, alioquin qui contra fecerit puniatur.**

[399] PARENTES

- 399.- 1288: Caveant Monachi ne petant et Priores ne pro suis  
=== Monachis quaerant licentiam eundi ad parentes vel ad alias  
vagaciones inordinatas.
- 400.- 1362: Injungimus Prioribus, in virtute obedientiae, et  
=== praecipimus ne praesumant dare parentibus vel cognatis  
suis sine consensu Conventus aliquid vel aliqua de bonis  
Domus, unde Domus Ordinis notabiliter gravari possent.
- 401.- 1390: Prohibemus omnibus personis Ordinis ne amodo petant  
=== licentiam visitandi parentes suos carnales aut quoscumque  
alios, propter pericula quae hactenus acciderunt et scanda-  
la quae emergere possent.
- 402.- 1392: Personae Ordinis suos Superiores infestantes ut ad  
=== alias Domos se transferant vel quod domos suorum amicorum  
aut parentum possint visitare, si tertio in praesentia Con-  
ventus ab infestatione non cessaverint, incurrant generalem  
Ordinis disciplinam.
- 403.- 1407: Visitatores non dent Monachis licentiam visitandi  
=== parentes suos. (Hoc inveniebatur quolibet anno in Charta).
- 404.- 1497: Visitatores non dent licentiam Monachis visitandi  
=== parentes divertendo notabiliter a recto itinere quia hoc  
facere non possunt etiam quando mittuntur per Ordinem de  
Domo ad Domum. (In Provincia Castellae).

=====

PAUPERTAS: (Vide etiam: 1962-1980)

- 1°: Exhortatio generalis.  
2°: Circa contractus.  
3°: Circa pecuniam.  
4°: Circa res.  
5°: Circa stipendia Missarum: vide: STIPENDIUM.
- 1°: PAUPERTAS: Exhortatio generalis:
- 405.- 1334: Cum detestandum sit omnibus Religiosis proprieta-  
=== tis vitium, declaramus quod in nulla Domo nostri Ordinis  
sint aliqua bona propria vel distincta, id est quod nullus  
Conventus vel aliqua persona cujusque Domus habeat vel cus-  
todiat separatim, appropriatim a bonis totius communitatis  
Domus. Sed omnia sint communia bona quae possidet Domus, et  
eleemosynas, dona, xenia, quae mittuntur, dantur, offerun-

[405] PAUPERTAS

tur Domui, Conventui et personis. Prior qui totam administrationem Domus habet, et ad quem debet pertinere, recipiat, habeat, custodiat, distribuatur et expendat, prout viderit secundum Deum et conscientiam communi utilitati Domus expedire, quia secundum Scripturas et jura, bona communia debent privatis praeferrari. Eleemosynas autem denuntient Conventibus Priores in Capitulo, et quantum poterunt bono modo, juxta voluntatem donatorum, distribuatur indigentibus et illis quibus mittuntur, omni superfluitate resecata, et pace omnium observata.

- 406.- 1473: Hortamur et monemus omnes Priores et Visitatores  
 Ordinis quatenus apud quascumque Ordinis personas vitium proprietatis diligentissime extirpare curent, non permittendo quod, nec per se, nec per Priores suos aut Procuratores, ullas pecunias in voluntate sua habeant.
- 407.- 1594: Maximo nostro dolore intelleximus quosdam ex nostris ita suae professionis ac paupertatis oblitos ut non ex divitiis ad paupertatem sed a paupertate ad divitias et cupiditates transisse videantur; unde illos gravissime monemus et hortamur in Domino ut tandem intelligant nihil sibi licere, apud se servare, nec Superioribus concedere, quam quae ad simplicem usum et vitae necessitatem pertineant, juxta Sacros Canones, et maxime Sacri Concilii Tridentini, quod satis nostra Statuta declarant, super quo primum Priores, secundo Visitatores si illi neglexerint, diligentissime invigilent, ne Deus offendatur et tam sancta professio violetur.
- 408.- 1679: Cupiditatis occasiones nobis et nostris posteris  
 (ut sanctae memoriae R. Patris Guigonis verbis utamur) quantum, Deo juvante, possumus, praescindere volentes, ac juxta mentem Ordinis in Antiquis Statutis et tot Capitulum Generalium Ordinationibus expressam, bonis externis, habita temporum ratione, modum ponere cupientes, ne ultra honestam sufficientiam unquam progrediatur novarum acquisitionum pruritas et libertas, et illud Isaias: "Vae qui agrum agro copulatis! Numquid terram soli possidebitis?" in personas Ordinis cartusiensis decidat. Statuimus et ordinamus ne de caetero ulli Domui quae habeat sufficienter unde honeste et pacifice vivat cum numero duodecim Monachorum ex bona et aequa Visitorum Provinciae aestimatione, novam acquisitionem cujuscumque naturae sit, sub quolibet praetextu facere liceat, absque praevio examine Visitorum de ipsius Domus indigentia scriptis expresso, et sine speciali licentia Reverendi Patris aut Capituli Generalis, sed si quae Domus superabundantiam habeat, tum in largas eleemosynas ipsa impendatur, tum Reverendo Patri aut Capitulo Generali offeratur, ad distribuendum

[409] PAUPERTAS

dum parvis aut pauperibus Domibus Ordinis ejusdem Regni et Provinciae totum, ita ut redditus superabundantes Monasteriorum nullatenus applicari possint, sub quovis titulo et quaesito colore Domibus alterius Provinciae et Regni, juxta Decretum Sacrae Congregationis particularis Em. DD. Cardinalium ad examinandam praesentem Collectionem Statutorum deputatae, emanatum die 19 martii 1685, ut illarum inopia per aliarum abundantiam, juxta Apostolicum praeceptum suppleatur, habita ratione necessitatum quarumcumque Domorum. Turpe enim esse debet Monachis qui sua reliquerunt, iterum congerendis nummis et possessionibus contra mentem Cartusiensis propositi inhiare; nihil autem convenientius est monasticae professioni quae christianae disciplinae perfectionem profitetur quam si specimen in se praebeat eximiae illius charitatis primorum christianorum, inter quos ex facultatum religiosa communicatione nemo aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. De hujus autem laudabilis Ordinationis observantia Visitorum et Priorum conscientiam oneramus, de qua rationem restricto judici redditori sunt, sed si in hoc culpabiles fuerint aut remissi, venient per Capitulum Generale puniendi.

409.- 1898. Adm.4: Facultates quas nobis Divina Providentia largitur, non ut vitae blandimenta quaeramus, sed ut Piis Operibus, quae hoc pessimo tempore in summum discrimen venerunt, efficienter subveniamus, aliquibus oblivionem attulerunt rusticitatis Majorum nostrorum tenuitatisque Ordinis nostri, quae nobis tantopere commendantur. Ideo de tali oblivione perdolentes, oramus atque obtestamur omnes et singulos Venerabiles Patres quibus aliqua rei temporalis commissa est administratio ut cuncta Statuti loca, quae de vitanda in Domibus aedificandis vel restaurandis, vel instruendis curiositate, de superfluo fortiter resecando, de paupertate et simplicitate sectandis et de rigore eremitico non enervando tractant secum graviter et serio recogitent; ne forte, liberius agentes, Instituti nostri transgressores fiant, et iram Dei, cujus potestatem non novimus, super nos excitent, ipsique judicium durissimum, propter suam inobedientiam et detrimentum Ordini nostro illatum, tandem evadere non valeant.

2º: PAUPERTAS: Circa contractus:

410.- 1582: Quandoquidem intelleximus quosdam a nonnullis nostrum fieri contractus parum religiosos et turpis lucri potius quam pietatis gratia; districte prohibemus sub poena absolutionis ab omni officio ne quisquam hujusmodi contrac-

[410] PAUPERTAS

tus in posterum faciat; sed qui potens est debet aliquid alteri mutuo dare, id juxta Sacras Litteras nihil inde sperans faciat; qui vero aliter antea mutuaverit, satisfaciatur secundum conscientiae regulas.

3º: PAUPERTAS: Circa pecuniam:

- 411.- 1284: Statutum quod nullus Monachus vel Conversus custodiat denarios, approbatur.
- 412.- 1286: Inhibetur Prioribus ne permittant per aliquos subditos custodiri pecuniam ad qualemcumque usum.
- 413.- 1386: Ordinamus quod nulla persona Ordinis cujuscumque status vel conditionis existat, exceptis Prioribus, Rectoribus Domorum, Priorissis, Vicariis Monialium, Procuratoribus juxta dispositionem Priorum, non retineant aliquam pecuniam penes se vel penes alium ex quacumque causa vel modo ad eos devolutam vel de caetero devolvendam, cum vitium proprietatis ab omnibus personis Ordinis tanquam venenum perfidiae summo studio sit evitandum. Volumus tamen quod si aliquibus ex justa causa concessum sit per Capitulum Generale vel Reverendum Patrem Dominum Cartusiae habere pecuniam, illico illam in Prioris manibus assignent, qui Priores, dictam pecuniam retinebunt in casu supradictae necessitatis vel legitimaе causae pro eisdem personis suo tempore persolvendam.
- 414.- 1392: Ordinamus et volumus quod amodo Monachi et Claustales non dividant inter se, nec recipiant pecunias datas, vel quae dabuntur Conventibus, Domibus, vel personis, et si qui habeant pecunias praecipimus eis quod statim ponant in manibus Priorum suorum, alias pro proprietariis reputentur, nec Priores in contrarium licentias concedant.
- 415.- 1666: Prohibemus omnino peculia omnia tam Priorum quam Monachorum et Conversorum aut etiam Donatorum quocumque jure vel colore quaesita et provenientia, itemque redditus omnes annuos vel pensiones vel ususfructus qualiumcumque Visitorum, Priorum, ac Superiorum licentia hucusque permissos vel patientia toleratos; dictas licentias propterea revocantes et irritantes et omnes hujusmodi pecunias, dictis redditibus annuis, pensionibus, usibus fructibus, Missis eleemosynariis aliisque quibuscumque titulis quaesitas, vel res alias mobiles pretiosas in arca communi reponi cum reliqua Domorum pecunia confundi, uniri et incorporari mandamus atque praecipimus. Et Visitoribus et Prioribus Domorum respective prohibemus sub poena absolutionis, ne quemcumque Prio-

[416] PAUPERTAS

rem, Rectorem, Monachum et Conversum, aut etiam Donatum permittant ullo usufructu, pensione, vel bonorum proventu aut peculio, per se, vel per interpositam personam ullam frui, et similiter prohibemus ne quis Prior, Monachus aut Conversus, vel Donatus etiam cum Praesidentis immediate vel Visitorum licentia ullum usumfructum et pensionem vel peculium habeat, aut per se vel per interpositam personam retineat, sub poena absolutionis quoad Praesidentes, carceris quoad Monachos et Conversos et expulsionis ab Ordine quoad Donatos. (In Provinciis Hispaniarum).

416.- 1834: Cum ad notitiam nostram pervenerit in quibusdam Domibus Ordinis tantum contra paupertatis votum irrepsisse abusum, ut Monachi pecunias apud se habere et de ipsis ad proprios vel etiam ad alienos usus disponere praesumant, ut injuncti nobis desuper pastoralis officii debito satisfaciamus, detestandum omnibus religiosis proprietatis vitium penitus extirpando, renovandam duximus prohibitionem expressam n.1 et 2, Cap.XIX, Iae Partis Statutorum, ne ulla persona Ordinis nostri Professa, praeter Priores vel Rectores ac Procuratores Domorum pecunias aliquas per se vel per medium cujuscumque interpositae personae in sua voluntate habeat, aut deposita aliena quaecumque sint, penes se custodiat, declarantes hujusce nostrae Ordinationis seu potius supramemorati Statutorum nostrorum articuli transgressores incurrere excommunicationis sententiam quae contra proprietarios quotannis in Dominica Palmarum in singulis Domibus a Praesidente promulgari debet. Et ut nulla unquam Monachis detur occasio similis abusus districte injungimus universis Prioribus aut Praepositis Domorum ut juxta n.7 praelaudati Capituli Statutorum, suis subditis de necessariis more Ordinis, rationabiliter provideant, superflua vero quae statui paupertatis non conveniunt ab eis omnino auferant.

417.- 1836: Renovamus Ordinationem anni 1834 de peculio non habendo, cujus strictam observationem Priori et confessariis commendamus, onerantes super hoc ipsorum conscientiam. (In Domo de Trisulti).

418.- 1837: Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda, et in sua puritate, gratia Dei aspirante, conservanda est. Quapropter nemo ex nostris, sive Monachi, sive Conversi aut Moniales sint, praeter eos ad quorum officium aliqua ratione pertinet cura rerum temporalium, pecuniam apud se habeat: apud alium vero, nec pecuniam nec quicquam aliud. Ne quis ergo sibi praesumat habere peculium sive de stipendiis missarum, sive de donis, eleemosynis, depositis, concessionibus

[418] PAUPERTAS



a parentibus aut aliunde, et sub qualicumque praetextu consuetudinis olim introductae, ita ut possit istas res vel pecunias pro suo arbitrio dispensare, commodare, vendere aut mutare. Hinc nemini nostrum datur licentia quicquam accipiendi ab aliis ad proprium usum ac dispositionem, nec ad id Superiores potestatem facere possunt. Si autem sponte aliquid offeratur aut quidpiam mittatur, aut denique ex aliquo fonte honesto proveniat, id juxta Statuta nostra in communem usum a Priore vel Procuratore accipiatur et dispensetur. Aliunde monemus omnes quod si quis e nostris rem ut propriam usurpet vel alienet absque Superioris facultate, adversus votum paupertatis peccasse judicabitur, pro rata quantitatis, sicut in peccato furti. Et ideo tantis cupientes obsistere malis, quacumque ex causa tales reservationes privatas pecuniae aut aliarum rerum ad privatum et proprium usum omnino prohibemus.....

419.- 1907. Adm. 3: Si alicujus Religiosi propinquus aut amicus summam pecuniae benigne offerre contigerit, illa poterit recipi, et quidem cum gratiarum actione, juxta donatoris intentiones expendenda, dummodo non sint nostrae simplicitati et vitae communis regulis contrariae; Religiosus autem praedictus pecuniam istam pro suo commodo, aut prout voluerit ipse vel optaverit, applicari petere non praesumat.

4º: PAUPERTAS: Circa res:

420.- 1180: Conversus, cum obedientiam dimittit, nihil omnino retineat de his quae ad obedientiam pertinent. Si autem deprehensus fuerit retinuisse, tanquam de proprio judicetur.

421.- 1415: Admonemus personas Ordinis quibus usus communis librorum vel aliarum rerum conceditur vel est concessus per Praesidentem, resignandi vel aliis concedendi habeant animum paratum, ne incurrant speciem proprietatis, attendentes formam Statutorum nostrorum.

422.- 1585: Monemus omnes et singulos Monachos in Provincia Alemaniae Superioris tam Professos quam Hospites ne molesti sint Prioribus, sed contenti iis quae solent ministrari de more Ordinis, super quibus invigilent Visitatores.

423.- 1794: Religiosi debent in manus Prioris tradere pecuniam, horologia parva, et omnia alia paupertati parum consona.

5º: PAUPERTAS: Circa Stipendia Missarum: Vide: STIPENDIUM.

[424] PAX

PAX: (Vide etiam: 1981-2034)

424.- 1332: Ordinamus quod quando invenirentur aliqui in Domibus Ordinis contentiosi de quibus erit periculum quod quamdiu manserint non sit pax in Domibus, ad testimonium Visitorum, Prior Cartusiae possit dispensare quod ad Domos alias transmittantur.

PAX IN MISSA:

425.- 1335: Omni tempore sumatur pax sicut in Domo Cartusiae, videlicet in tabula in qua crux sit, vel imago Christi depicta.

PERIODICA:

426.- 1859. Ord.6: Quodlibet diarium in quo directe aut indirecte tractatur de rebus politicis, tanquam spiritui Ordinis nostri contrarium, nullo modo in claustris nostris introducatur.

427.- 1883. Adm.4: Strictius servetur Ordinatio 6a anni 1859, qua omnino prohibetur cujuslibet diarii, de rebus politicis tractantis, introductio in claustris nostris; quibus verbis intenditur etiam cella Vicarii; et ideo absente Priore, Vicarius litteras seu alia scripta recipiat, diariis hujuscemodi exceptis.

428.- 1891. Adm.7: Iterum atque iterum declaramus diaria de rebus politicis quocumque modo tractantia in claustris prohiberi. Caveant etiam Priores ne periodica scripta, quae de aliis materiis tractant, ultra modum, maxime apud claustrales, multiplicentur. Super hoc invigilent Visitoros; et hujusmodi foliorum numerum, quando id expedire videbitur, determinent.

429.- 1949. Adm.1: Ad memoriam revocamus Ordinationem anni 1859 et graviter monemus Visitoros ut strictius eam servari faciant, praecipue quoad periodica, quorum numerum ipsi debent determinare prout id expedire videbitur, sedulo insuper invigilantes ne ea quae spiritui nostro aliena sunt in claustris introducantur.

[429] PERIODICA